BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
33 G
48

DE DISPOSITIONE ORATORIA,

DISPVTATIONES XXX.

In quibus facilis & abſoluta texendæ, tractandæque orationis traditur ratio: dum quæ de quinque orationis partibus a melioribus dicendi Magiſtris hactenus præcepta fuere, ordinate, copioſeque explicantur.

Auctore Ludouico Carbone, a Coſtaciaro, Academico Parthenio, & Sacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publico Profeſſore.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, M. D. XC.

Apud Damianum Zenarum.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

LIBERTAS

SERENISSIMO

FRANCISCO

MARIAE II.

VRBINI DVCI VI. &c.

ANTEQVAM mihi omnino exploratum eſſet, Seren. Princeps, te non minus libenter ingenij, quam terræ fructus, tibi a tuis ſubditis debitos, excipere; quem tibi debebam cenſum, vt qui nihil rerum poſſideo, eum non ſoluere, ſalua religione, potui. Poſtea vero quam ex beneficentia erga me tua, tuiſque literis omni officio plenis, tibi ſtudiorum cenſus gratiſſimos accidere pla-

ne perſpexi, me ab annui tributi ſolutione immunem eſſe nulla ratione mihi perſuadere, nec poſſum, nec debeo. Quare his diebus æſtiuis, cum tributi perſoluendi tempus inſtaret, nulla valetudinis habita ratione, hoc de Oratoria diſpoſitione opus, quod nunc omni animi ſtudio tibi offero, perficiendum maxima contentione curaui. Nec ſane alij cuipiam hic libellus, quam Celſitudini tuæ dicandus fuit: tum quia eos ſequitur libros, quos anno elapſo de Oratoria inuentione, tibi dicaui: tum etiam, quod in eo ea de re agitur, qua tu, ſapientiſſime Princeps, maxime delectaris, atque excellis, hoc eſt, de arte dicendi. Coniunxiſti enim illa duo, quæ in optimo populorum Moderatore omnino reperiri debent, ſapientiam nimirum, & eloquentiam: quo duplici ornamento, qui carent Princeps, qua ratione ſuſceptum munus, & nomen tueri ſuum queant, plane non video. Et, vt ſapientiam nunc prætermittam, de qua alio loco multa in hanc ſententiam diſputaui, quam in eo, qui reipub. gubernacula adminiſtrat, non eſſe pernéceſſariam diceret nemo; de Eloquentia, quæ nihil aliud eſt, quam copioſe loquens ſapientia,

pientia, illud dixerim, nihil poſſe fieri infantius, quam eum fari neſcire, qui populos iuſtos & bonos ſe efficere poſſe profitetur, qui ſplendore & magnificentia alios antecellere, & qui omnibus in rebus cæteris præſtare debet. Nam, etſi vere dicatur, non dicentis orationem, ſed probitatem fidem facere, moratamque orationem vim habere ad perſuadendum præcipuam; tamen illud etiam veriſſimum eſt, probitatem eloquentiæ præſidio nudatam, inermem eſſe. Homines enim infantes, licet optime ſentiant; tamen ob hæſitantiam linguæ, vel quod ſentiunt exprimere, & exprimendo ijs quibus volunt, perſuadere, imminentiaque mala propulſare, aut iam accepta vulnera ſanare, minime poſſunt. Huc accedit, quod non omnia ſua prudentia, & opera Princeps adminiſtrare poteſt, ſed multa per alios ei facienda ſunt, multa alijs præſcribenda; quæ non tam nutu & imperio, quam liberali, ſuauique oratione ſuadenda ſunt: cum non ſeruos regat, ſed liberos homines, qui potius honeſtatis, communiſque vtilitatis amore commouentur, quam minis. Nihil enim magis aſperum ab homine libe-

ro, honeſteque inſtituto auditur, quam illud imperioſe dictum,

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Cum itaque liberius id homines exequantur, quod cum ratione, & voluntate ſuſcipiunt, quam id, quod imperio & metu coacti faciunt, erit profecto bono Principi ad ſui muneris functionem aliqua dicendi facultas maxime vtilis, atque neceſſaria, qua non ſolum ſuorum animos ad ſe alliciat, beneuolentiamque ſibi conciliet, ſine qua feliciter regnabit vnquam nemo, cum amici, vt Alexander ille cognomento, Magnus, aliquando dixit, ſint tutiſſima regni propugnacula; ſed etiam vt ea, quæ ſancit, ad communem ſalutem pertinere, & nihil ſibi ſtudio publicæ vtilitatis antiquius eſſe demonſtret; & denique vt firmis concordiæ, ciuiliſque ſocietatis vinculis ſuos alliget, & in officio contineat. Quod ſi in pace Principi tam neceſſaria eſt eloquentia, quid de tempore belli dicendum? vbi fugientes reuocandi, timidi incitandi, bene ſperantes animandi, audaces comprimendi, & denique omnes ad certos labores, ad ma-

xima incommoda, & ad mortem ipſam libenti animo perferendam ſunt cohortandi? Vt merito Pyrrhus Epirotarum Rex dicere ſolitus fuerit, Plures vrbes Cyneæ diſerti hominis oratione, quam ſuis armis, ſuo imperio additas fuiſſe. Ideo poetarum princeps Homerus, eloquentes in ſuis operibus deſcripſit reges. Eloquens fuit Philippus Macedonum Rex: diſertus filius Alexander: Iulius Cæſar dicendi facundia non minus, quam armis illuſtris: non infacundus Octauius, non infans Tiberius, vt illas hominum peſtes, Caligulam, Neronem, & Domitianum omittam. Ideo in omni bene inſtituta repub. floruit eloquentia, virique eloquentes in magno honore fuerunt, Athenis, Spartæ, Thebis, Carthagine, & Romæ: hinc, Catones, Lælij, Gracchi, Scipiones, Craſſi, Antonij, Carbones, & Tulij. Si itaque Princeps, vna cum ſapientia & auctoritate, mediocrem ſaltem eloquentiam coniungeret, ſuo quodcunque incideret tempus, præclare fungeretur munere: & nihil eſſet, quod oratione ſententijs grauibus, & verbis ſplendidis ornata non poſſet efficere: cum nihil ſit ta-

li oratione vehementius, & ad alliciendas voluntates, & ad animos impellendos accommodatius. Hæc iacentes excitat, afflictos recreat, languentes ſtimulat, vigilantes inflammat, bonis præmia conſtituit, improbis pericula denunciat, & populos in officio & religione retinet: quo omnes boni Principis conatus ſunt referendi; cum in hunc finem a multitudine in eum publica translata ſit poteſtas, vt in rep. honeſte & religioſe viuatur: dominium enim propter religionem, non religio propter dominium inſtitúta eſt. Talis erat Princeps ille, cui ad portam ciuitatis accedenti, parabatur cathedra: ad cuius aſpectum iuuenes abſcondebant ſe: cui omnes aſſurgebant: ad cuius ſermonem Principes ceſſabant loqui, & Duces linguam ſuam cohibebant: ille inquam, qui de ſe vere, ſine vlla arrogantia dicere potuit, Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum: ille, qui pupillo erat adiutor, qui oculus erat cœco, pes claudo, qui denique

pater

pater erat pauperum, vt Principes omnes eſſe deberent, Qualem te tui, hoc ſpeciatim anno in tanta annonæ caritate, eſſe plane cognoſcunt. Et denique, vt hunc concludam locum, an in Principe aliqua deſideretur dicendi copia, is quem Deus ſui populi Ducem conſtituere volebat, apertiſſime demonſtrauit, cum hac vna ratione tantum onus recuſabat, quod non eſſet eloquentia prædıtus, ita enim dixit, Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius. Quod vero ad ſplendorem, cultumque attinet, Principem inuenies nullum, qui veſte, vaſe, tabula, reliquaque totius domus ſupellectile, ſe a ſuis ſubditis ſuperari ſinat: Sed potius Principes contendunt omnes, vt omnium rerum genere, quæ ad elegantiam, ſplendoremque conferunt, omnes, non modo ſubditos, ſed etiam pares, & ſuperiores vincant: ſibique dedecori eſſe arbitrantur, ſi quid ſuo domeſtico cultu magnificentius reperiatur: cum in eo qui alijs dignitate & dominio pręſtat, nihil ſordidum, nihil humile, nibil inornatum eſſe debeat, ſed omnia nitida, eximia, atque illuſtria. Quare, ſi in communi vita nihil Principum amplitudine decentius ac

magni-

magnificentius eſſe debet, profecto ea in re, qua homines ignoti nominis celebritatem ſibi comparant, obſcuræ familiæ illuſtrantur, humanæ mentes mirum in modum exornantur, & quæ intus in animo latent ſententiæ, in claram lucem, quaſi ex tenebris, deducuntur; qui multitudini præſunt, non modo imperitam multitudinem, ſed etiam ſibi æquales homines ſuperare deberent. Et quid quæſo poteſt eſſe magis incongruum, quam nimium ſumptum in parietibus pingendis fieri, & multam operam in corporis ornatu conſumi, ſummamque diligentiam adhiberi, vt Principis cultus excellat, ſi Princeps inculte, inornate, & inſipienter loquatur? & eum inſulſitatis, infantiæque ſuæ ſignificationem præbere, cuius ſingula verba, & ſententiæ ornatiſſima quędam deberent eſſe oracula? Non purpuræ nitor, non auri ſplendor, non gemmarum pulchritudo, nullum denique ornamenti genus, ita Principis domum exornat, vt dicendi facultas eius animum & orationem illuſtrat. Et vt multa, quę dici de re ſuſcepta poſſent, in pauca conferam, ſi vere & ſapienter a quodam docto & diſerto viro pronunciatum fuit, Quæ

natura,

natura, aut fortuna dantur hominibus, in ijs rebus ſe vinci poſſe æquo animo patiuntur: quæ autem ipſi ſibi parare poſſunt, in ijs rebus ſe pati non poſſe vinci; ea in re ſe vinci, & inferiorem eſſe Princeps patietur, qua homines non modo brutis animantibus, ſed etiam alijs hominibus præſtant? Si infantia in priuato damnatur homine, in eo, cui reip. ſumma, populorum ſalus, iuſtitiæ adminiſtrandæ cura, belli gerendi prouincia eſt demandata, vituperanda non erit? Turpe eſſe exiſtimabit Princeps armorum inopia, in bello vinci, in pace vero iuſtitię, ęquitatiſq; cauſſam ob infantiam deſerere, & a ſibi ſubditis dicendi copia ſe ſuperari, turpiſſimum non exiſtimabit? At quorſum hæc a me diſputantur? in eum fortaſſe finem, vt te, qui a primis vſque annis eloquentiam cum ſapientia coniunxiſti, hæc duo in bono Principe neceſſaria eſſe doceam? minime id quidem; ſed vt ij, qui hanc meam nuncupatoriam legent, plane intelligant, me, hoc de Oratoria diſpoſitione opuſculum, in quo ars texendæ, amplificandæ, ornandæque orationis explicatur, tibi Principi non vulgari eloquentia ornato, non temere nuncupaſſe: cum tu

de

de hoc meo libello iudicium ferre, eumque a calumnijs defendere poſſis. Neque enim vnquam eos probare potui, qui illis ſua ſcripta dicant, qui rebus tractatis non delectantur, aut quid quantumque valeant, cognoſcere non queunt. Qui non minus inepte faciunt, quam is, qui abſtemio generoſum donaret vinum, aut in aceruum Mercurij, vt Sapiens loquitur, lapidem mitteret: quo ſæpenumero fit, vt non id conſequantur, quod nuncupando ſibi proponunt. Accipe ergo, Sereniſſime Princeps, hunc paruum huius anni cenſum, habiturus conſequenti anno, adiuuante Deo, multo maiorem.

Vale. Venetijs, Kal. Sept. anno 1590.

Obſequentiſſ. Subditus,

ac Seruus

Lud. Carbo.

IN LVDOVICI CARBONIS libros Rhetoricos,

CÆSARIS RANVCCII CARMEN,

AD LECTOREM.

ARTEM, ſi quaris, quo præceptore doceri
Rhetoricam poſſis planius, & melius;
En tibi germani Doctoris ſcripta frequēti
Hæc te ne pigeat peruoluiſſe manu.
Nullus, crede mihi, de tot iam millibus extat,
Vtilius tibi quem propoſuiſſe velis.
Extudit hic methodum, facilem, planam, atq; diſertā,
Cui nunquam ſimilem repperit vllus adhuc,
Non præcepta modo, & leges ratione recludit,
Sed profert nodos, explicat, atque aperit.
Ne fruſtra credas: ſunt bina volumina teſtes
Edita, quæ volitant docta per ora virum.
Artis naturam primum ſcrutatur, & ipſas
Cauſſas,

Cauſſas, ac partes, diſcutit, atque probat.
Quam facile inuenias, docet, argumenta ſecundum,
Quoque loco lateant, indeque vt elicias.
Additur his aliud nunc, cuius ſenſeris vſum,
Et fructum, doleas tam caruiſſe diu.
Quot conſtet veris Oratio partibus, edit:
Et quo pars quæuis ſit ſtatuenda loco.
Hinc qua vi propria ſtet quælibet, inde ſequenda
Quæ ſint in cunctis, quæ fugienda ſimul.
Tum, tua qui firmes dicta, aut aduerſa refellas,
Argumenta docet, per ſpeciesque ſecat.
Poſt etiam monſtrat, tota vt ſententia multo
Ampla magis fiat, ſplendida, culta, grauis.
Denique habes, qua vi moueas, quo pondere, & æſtu
Concludens, animos acriter extimules.
Quæ reſtant, alijs poſt pertractanda libellis
Expecta, vt nota ars ſit tibi tota, breui.

EIVSDEM.

CARBONIS *multo qui lucubrata labore*
Hæc de Rhetorica, & cetera ſcripta legis;
Vna opera autores artis peruoluere cunctos
Antiquos credas te, pariterque nouos.
Quidquid enim veteres, quidquid ſcripſere recentes,
Vno hic complexu colligit inſtar apis.
Quin, quæ nec veteres, nec tentauere recentes,
Felici auſpicio tentat, & exequitur.
Vis igitur, veteres quæ conſcripſere? legas hæc.
Vis noua? ſunt noua hæc, & potiora nouis.

DISPV-

DISPVTATIONVM INDEX.

DE NATVRA partibuſque diſpoſitionis, Diſputatio 1. pag. 1.
De numero partium orationis, Diſput. 2. 18
An exordium ſit orationis pars, deque eius natura partibuſque, Diſputatio 3. 31
De exordij officijs, an tria ſint exordij officia, Diſputatio 4. 56
De inſinuatione, an ea interdum vti liceat, & qua ratione, Diſputatio 5. 68
Cuiuſmodi eſſe debeant exordia in omnibus cauſarum generibus, Diſputatio 6. 76
De præparatione, Diſputatio 8. 101
An narratio ſit orationis pars, deque eius natura & partibus, Diſputatio 9. 111
De forma & methodo, ſeu de recta narrandi ratione, Diſputatio 10. 130
De narrationis virtutibus, quæ & quot ſint, Diſputatio 11. 140
De digreſſione, Diſputatio 12. 150
De propoſitionis, partitioniſque natura, Diſputatio 11. 140
De digreſſione, Diſputatio 12. 150
De propoſitionis, partitioniſque natura, Diſputatio 13. 161
De vſu, quantitate, qualitateque propoſitionis, Diſputatio 14. 175
An

An probatio, ſiue confirmatio ſit orationis pars, deque eius natura, Diſputatio 15. 184
Quid & quotuplex ſit ſtatus, Diſputatio 16. 194
De locis vnde argumenta ad rem confirmandam petuntur, Diſputatio 17. 202
Quid & quotuplex ſit argumentatio, deque varijs argumentationum formis, Diſputatio 18. 220
De enthymemate & epenthymemate, Diſp. 19. 238
Quibus & quot partibus conſtet ratiocinatio, Diſputatio 20. 246
Quo pacto argumenta varie tractari poſſint, Diſputatio 21. 257
De argumentorum expolitione, Diſputatio 22. 273
De expolitione, tractationeque ab adiunctis ſumpta, ſiue de comprehenſione, Diſputatio 23. 288
De expolitione per negocij diuiſionem, fictamque exornationem, Diſputatio 24. 295
De illuſtratione ſuffigurationeque argumentorum, Diſputatio 25. 308
De refutatione, an ſit pars a confirmatione diſtincta, deque eius natura, & vſu, Diſputatio 26. 316
De argumentorum ſolutione, Diſputatio 27. 333
De oratione morata, Diſputatio 28. 344
An peroratio ſit orationis pars, Diſput. 29. 362
Qualis & quanta debeat eſſe peroratio, deque indignationis & conqueſtionis locis, Diſputatio 30. 375

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

ACclamatio quibus in locis ſit adhibenda. 304
Actio qualis in peroratione eſſe debeat. 382
Actor & defenſor a quibus exordiantur. 193
Adiacentia quæ ſint. 212
Adiuncta quomodo tractari debeant. 294
Adiunctorum conglobationum ſolutio, quibus modis fiat. 328
Admirabile cauſſæ genus. 37
Affectus vnde dimanent. 353
Affectus omnes mouendi ab oratore. 390
Affectus quibus rebus commoueantur. 369
Agri quomodo laudentur. 158
Amplificatio quid ſit. 274.& 368
Amplificatio qualis eſſe debeat in peroratione. 392
Amplificationum copia ex quibus locis comparetur. 281
Amplificatione quibus locis ſit opus. 288
Amplificandum ad, qui loci maxime conferant. 274. & ſequenti.
Animi auditorum ab Oratore ſunt cognoſcendi. 346
Animi auditorum quib.reb.commoueantur. 385.& 386
Animi vires, quæ ab Oratore cognoſcendæ ſunt, quot & quæ ſint. 346
Apologus quid ſit. 214
Appoſitio quid ſit. 216
Argumentum,quid deſignet. 221
Argumentatio ex quibus conſtet. 222
Argumentatio quid ſit. eod.
Argumentationis partes quot ſint. 305
Argumentationis ſpecies quæ ſint. 224.& 226
Argumentum vnde dictum. 220.& 221

Argumentum quot modis aggredi poſſimus. 305
Argumenti varia tractatio quibus capitib.ſumatur. 258
Argumenta meliora in magna argumentorum copia ſeligenda ſunt. 261.& 282
Argumentorum explicatio qualis eſſe debeat. 257
Argumentorum ſolutio quo pacto fieri poſſit. 334
Argumentorum in ſolutione, qui ordo ſit ſeruandus. 326
Argumentorum diſpoſitio qualis eſſe debeat. 218
Argumentari quid ſit. 221
Arguti qui ſint. 221
Artes qualiter tradendæ. 395
Artis rationes quæ ſint. 201
Aſſumptio quid ſit. 251
Aſſumptio quibus modis confutetur. 337
Aſſumptionis approbatio quid ſit. 251
Attentio quibus locis petatur. 63
Axiomata locorum in artificioſorum quæ ſint. 217

B

BEneuolentiæ innouatio neceſſaria in epilogo. 375
Beneuolentia quibus modis concilietur. 376
Beneuolentia quibus captetur locis. 61

C

CAuſſa quid ſit. 206
Cauſſa deliberationis an requirat motum. 10
Cauſſa laudationis, quam perorationem requirat. 391
Cauſſarum generibus quæ tribuantur. 77.& 78
Cauſſa ſimplex & compoſita, quam collocationem requirant. 12
Cauſſæ neceſſariæ, quæ ſint. 20
Cauſſæ nudæ non illuſtrantur. 313
Cauſſarum quot ſint genera. 206.& 207

Ciuitatum laudes quomodo conficiantur. 159
Circunſtantiarum in tractatione, quæ ſint ſpectanda.
Climax, quid a ſorite differat. 238
Collocatio verborum ad quam partem Rhetoricæ pertineat. 15
Collocatio verborum quid ſit. eod.
Collocationis ratio ex Tullio quotuplex. eod.
Collectio quid ſit. 234
Collectio, & ratiocinatio quomodo refelli poſſint. 337
Complexio quid ſit. 226
Complexio ſyllogiſmi quid ſit. 251
Concluſio, vide etiam epilogus.
Concluſio ſiue epilogus quid ſit. 367
Concluſio quomod poſſit eſſe cauſſa alterius concluſionis. 265
Concluſionis, ſeu perorationis partes quot. 364. & 368.
Concluſiones plures quomodo vna tantum ratione, & pluribus probari poſſint. 264. & 265
Confirmatio quotuplex ſit. 187
Confirmatio quæ ſit orationis pars. 192
Confirmatio an in omni orationis genere ſit neceſſaria. 192. & 194
Confirmationis varia nomina. 186
Confirmationis materia quæ ſit. 188
Confirmationi neceſſarium eſt argumentum, & argumentatio. 188
Conformatio quid ſit. 291
Confutatio quot modis fieri poſſit. 318
Confutatio quid ſit. eod.
Confutatio per altercationem, quot modis fieri poſſit. 325
Confutatio ſeu reprehenſio, an ſit pars a confirmatione diſtincta. 319
Confutationis partes, quot ſint. 329

Coniugata quæ ſint. 215
Confutationis partes neceſſariæ,quæ ſint. 329
Confutatione in, quid ſit ſpectandum. 323
Confutatione,in quibus cauſſarum generib. ſit opus. 321
Confutare difficilius eſt quam confirmare. 320
Conqueſtio quid ſit. 368
Conqueſtionis loci qui ſint. 385
Contentio quid ſit. 187.& 188
Contentione in quod dicendi genus ſit adhibendum. 193
Corruptio quid ſit. 211
Contraria quæ ſint. 213

D

DEfinitio quid ſit. 203
Definiri quæ poſſint. 2
Definiendi vitium maximum,quod ſit. 3
Demonſtratiuum genus,an partitionem requirat. 178
Deſcriptio an ſit idem cum narratione. 160
Deſcriptiones,quorum ſint propriæ. 157
Deſignationis partes quæ ſint. 359
Deuterologia quid ſignificet. 366
Dicendi ratio, quibus rebus ſit inixa. 191
Dicendi genus, in exordio cuiuſmodi eſſe debeat. 54
Digreſſio, quem locum in oratione habere poſſit. 155
Digreſſio,cuiuſmodi eſſe debeat. 156
Digreſſionis varia nomina. 151
Digreſſionem ad,quæ conferant. 154
Digrediendi cauſſæ quæ. 152 & 153
Dilatatio,cum locorum inopia laboramus, quomodo ſit adhibenda. 282.& ſeq.
Dilemma quid ſit. 226
Diuiſio quid ſit. 216
Diuiſio a partitione in quo differat. eod.
Diuiſio,quæ eſt pars propoſitionis compoſitæ quid ſit.
Diuiſionis partes,cuiuſmodi eſſe debeant. 295
Diſparata quæ ſint. 212

Diſpoſitio

Diſpoſitio quid ſit. 4
Diſpoſitio quid deſignet. 14
Diſpoſitio quotuplex ſit. 5
Diſpoſitio a M.Tullio & alijs auctoribus optime fuit definita. 14
Diſpoſitio,& arte tradi & definiri potuit. 13
Diſpoſitio ex arte quomodo a Cicerone appelletur. 11
Diſpoſitio eſt artis Rhetoricæ pars. 12
Diſpoſitio rhetorica eſt a dialectica diuerſa. 13
Diſpoſitio ex conſilio & prudentia Oratoris, a Cicerone quomodo dicta. 11
Diſpoſitionis varia nomina. 4
Diſpoſitionis effectus. 14
Diſpoſitionis diuiſio. 7 9.10.11.14.& 38
Diſpoſitionis Rhetoricæ deſcriptiones. 6
Diſpoſitionis deſcriptiones a Rhetoribus traditæ, de qua intelligi debeant. 17
Diſpoſitione, de an præcepta dari poſſint. 2.& 16
Diſponendi facultate præditus, qui. eod.
Diſſimilia quæ ſint. 214
Diſtributio quid ſit. 167
Diſtributionis vtilitates, quæ ſint. 182
Domus quomodo laudentur. 160
Docilitas quomodo comparetur. 63
Dubium genus cauſſæ quid ſit. 38
Ductus, quomodo a Cicerone dicatur. 12
Ductus quid ſit. eod.

E

Efficiens cauſa quid ſit. 206
Effectum quid ſit. 210
Effectum, a M. Tullio quomodo appelletur. eod.
Effectorum genera, quot ſint. eod.
Egreſſio an ſit orationis pars. 154
Egreſſio quid ſit. 151.

Eloquentia quibus conficiatur artibus. 3
Enthymema, latine quomodo dictum. 239
Enthymema quid ſit. 224.& 239
Enthymema rhetoricum,quid ſit. 240.& ſeq.
Enthymema rhetoricum, in quo a Dialectico differat. 239
Enthymema,id quo ab epenthymemate differat. 242
Enthymema & exemplum, an ſolum ad oratores pertineant. 255
Enthymema & circunductio,quomodo in eadem oratione eſſe poſſint. 268
Enthymematum genera, quot ſint. 242
Enthymema a circunductione,in quo differat. 266
Enthymema ab ergaſia, in quo differat. 282
Enthymema tacitum per modum epicherematis, per interrogationem quibus modis variari poſſit. 272
Enumeratio quid ſit. 227
Enumeratio quo pacto poſſit eſſe breuis. 377
Enumeratio cui ſit neceſſaria. 380
Enumeratio quid ſit. 368
Enumeratio quomodo erit grauis. 379
Enumerationis virtutes, quæ & quot ſint. 377
Enumeratio quot modis variari poſſit. 378
Enthymema quid ſit. 241
Epicherema quid ſit. 236
Epicheremata & expolitiones quid differant. 281
Epicherema, Ergaſia, Enthymema, Aggreſſio, Exereſis, Epergaſia, Violatio, Diuiſio, negotij, & Ficta diuiſio, quid ſignificent. 305.& 306
Epicherema quomodo diluatur. 337
Epichereſis, & epicherema,in quo differant. 237
Epilogus vnde dictus. 365
Epilogus quotuplex ſit. 373
Epilogi partes varie enumeratæ. 364
Epilogi varia nomina. 365
Epilogi variæ ſignificationes. eod.

Epipho-

Epiphonema quid ſit. 303
Exemplum quid ſit. 214. & 225
Exemplum, qua ratione infirmari poſſit. 338
Exordium quid ſit. 50
Exordium, & principium, nonnihil diſcriminis habẽt. 34
Exordium in quem finem inuentum ſit. 50
Exordium ex M. Tullio cuiuſmodi eſſe debeat. 91. & 92
Exordium ex quibus conſtet. 41
Exordium, in genere iudiciali an requiratur. 84
Exordium, ex quibus ſit orationibus partibus. 49
Exordium in genere deliberatiuo, an requiratur. 81
Exordium in genere deliberatiuo ob quas cauſſas ſit neceſſarium. 82
Exordij varia nomina. 33. & 49
Exordij partes quæ ſint. 42. & 52
Exordij quæ munera. 58
Exordij munera an ſolum in exordio ſint adhibenda 64
Exordij munera omnia an in omni oratione ſint adhibenda. 64
Exordij neceſſitas in genere deliberatiuo, ex quibus oriatur capitibus. 82
Exordij officia an exordiorum ſint propria. 60
Exordij officiorum quod magis neceſſarium. 65
Exordio an tribui poſſint narrationis virtutes. 67
Exordio an motus ſit adhibendus, & amplificatio. eod.
Exordia in deliberatiuo genere, cuiuſmodi eſſe debeãt. 84
Exordia vitioſa quæ ſint. 97
Exordia in cauſſis iudicialibus vnde ſumantur. 84. & 85.
Exordia varia pro cauſſarũ varietate eſſe debent. 77. & 87
Exordia quando ſint neceſſaria, & quando omittenda. 54
Exordia in genere demonſtratiuo, vnde ſumantur. 80. & 81
Exordia quæ maiorem habeant vim. 46
Exordia demonſtratiui generis cuiuſmodi eſſe debeant. 78. & 79.
Exordiendo quid ſit præſtandum. 85

Exordiendi ratio hiſtoricorum, poetarum, & comicorum. 98. & 99
Exordiēdi ratio diuerſa ꝑ cauſarū diuerſitate. 36. 46. & 53
Exordiorum varietas, in quib. generibus ſpectetur. 77
Exordiorum loci. 44. 45 & 53
Exordiorum maiorum diuiſio. 39. & 52
Exordiorum varia genera. 34. 35. 46. & 65
Exordiorum partes quomodo appellentur. 39
Exordiorum figuræ. 54
Expolitio quid ſit. 273
Expolitio quotuplex ſit. 274
Expolitio vnde ſumatur. 289
Expolitio, a negotij diuiſione, quomodo differat. 298
Expolitioni addendum eſt enthymema. 282
Expoſitio quid ſit. 166

F

FAcies quos corporis habitus indicet. 359
Falſa complexio, quomodo reprehendatur. 334
Ficta argumentatio a comprehenſione, quomodo differat. 299
Ficta argumentatione, quo loco vti debeamus. 301
Fictione, quando vti debeat orator. 303
Ficta argumenta, vnde ducantur. 300
Fictæ expolitionis varia nomina. 298
Finis quotuplex. 208
Finis quid ſit. eod.
Forma quotuplex ſit. 209
Flumina quibus laudibus afficiantur. 158
Forma quid ſit. 209
Fortuna quos mores imponat. 358

G

GEnere in iudiciali quæ illuſtrentur. 313
Genera narrationis quot ſint. vide narratio quotuplex.
Generatio quid ſit. 211
Genus, qua ratione homines afficiat. 356

H

HOmo omnium creaturarum epilogus. 371
Honeſtum cauſſæ genus quid ſit. 36
Hypophora,& occupatio quam vim habeant. 106
Hypophora cauſſæ quæ. 109
Hypophora ex quibus conſtet. 106
Humile genus cauſſæ. 38

I

ILluſtratio quid ſit. 309
Illuſtratio quomodo fiat. 319
Illuſtrationis diuiſio. 309
Illuſtrationis initium vnde ſumi ſoleat. 312
Incrementum quibus modis fiat. 369
Inductio quid ſit. 225
Inductio quot modis refelli poſſit. 336
Inductio oratoria quid ſit. 232
Indignationis loci qui ſint. 385.& ſeq.
Indignatio quid ſit. 368
Inuentio quid ſit. 29
Inſinuatio an ſit aliquod exordij genus. 70
Inſinuationis partes. 75
Inſinuationis loci. 72.& ſeq.
Inſinuationis tempora. 71

L

LOcus quid ſit. 202
Locus quotuplex ſit. 202
Locus ab etymologia. 203
Locus a Synonimis. 203
Locus a deſcriptione. 204
Locus a definitione. 203.& 204.
Locus a cauſſis. 206
Locus ab effectis. 210
Locus a generatione,corruptione,& ab vſu. 211
Locus a diuiſione. 216
Locus ab oppoſitis. 212
Locus a comparatione. 213

Locus coniugatorum. 215
Locus ab auctoritate. 215
Locus a ſubiectis. 211
Locus a toto. 204
Locus appoſitionis. 216
Locus ab adiacentibus. 212
Loco in, a communiter accidentibus, quæ ſint præſtanda. 290
Loci qui ſint. 203. & ſeq.
Loci a communiter accidentibus diuiſio. 289
Loci ad aduerſarij rationes refellendas qui ſint. 338. 339. 340. & 381.
Loci inartificioſi ex Quinct. quot, & qui ſint. 217
Locorum vniuerſe deſcriptionum capita. 160

M

MAius quid ſit. 213
Materia quotuplex ſit. 210
Materia quid ſit. 210
Minus quid ſit. 213
Montes a quibus laudari poſſint. 158
Mores quibus modis narrentur. 148
Mores diuerſarum rationum qui ſint. 355. & ſeq.
Mores quot modis manifeſtari poſſint. 353. & 359.
Mores ex quibus capitibus notari poſſint. 354
Mores quomodo notari debeant. 364
Moribus in deſcribendis quæ præcedere debeant. 360
Morum cognitio an oratori ſit neceſſaria. 346
Morum ſeu affectionum genera quot ſint.
Morum diſputatio quot modis fieri poſſit. 344
Motus animorum quantus. 385
Motus animorum quibus rebus fieri poſſit. 381
Motus animorum non debet eſſe nimius. q. 3. 383
Mouere qui vult, quid conſiderare debeat. 382. & ſeq.

N

NArratio quid. 114. 115. & 129
Narratio quomodo dicatur. 114

Narratio quotuplex ſit. 308
Narratio an ſit neceſſaria orationis pars 123.& 124.
Narratio in genere iudiciali quando requiratur. 128
Narratio quando ſit neceſſaria. 126
Narratio cuius ſit propria. 128
Narratio an a confirmatione ſeiungatur. 128
Narratio in oratione quē locum obtineat. 126.& 127.
Narratio in oratione ex quibus ſit partibus. 27
Narratio quomodo dilatari poſſit. 133.& 134.
Narratio cuiuſmodi ſe habere debeat. 133.135. 136.144. 145.& 147.
Narrationi an motus ſit adhibendus. 138
Narrationis breuitas quibus locis ſpectetur. 144
Narrationis initium vnde ſit ſumendum. 137
Narrationis materia forma & partes. 116
Narrationis character cuiuſmodi ſe habere debeat. 139
Narrationis diuiſio.118.& ſeq. 26
Narrationis virtutes an ſint narrationis propriæ. 149
Narrationis virtutes quam vim habeant. 146
Narrationis virtutes qua ratione ſint adhibendæ. 147
Narrationis initium vnde ſumatur. 116
Narrationis virtutes quæ ſint. 142.& 143.
Narrationis finis. 135
Narrationi an probatio adhiberi poſſit. 38
Narratione quomodo ſit vtendum. 131.& 132.
Narratione in conficienda quarum partium habenda ſit ratio. 134
Narrandi methodus in quibus ſpectetur. 137
Negantia quæ ſint. 213
Negotij diuiſio in quibus reperiatur. 297
Negotij diuiſio quotuplex. 296
Negotij diuiſio quid ſit. 296

O

OBſcurum cauſſæ genus. 38
Oppoſitio quid ſit. 23
Oppoſitio quot modis reprehendi poſſit. 336

Oppoſita quæ ſint. 212
Oppoſitorum genera quot ſint. 212.& 213.
Oratio quibus modis variari poſſit. 294
Oratio dilatata ex quibus capitibus fieri poſſit. 286. & 287.
Oratio morata ob quas cauſſas dici poſſit. 345
Oratio humana quotuplex ſit. 351
Oratio affecta quotuplex ſit. 351
Oratio non ſemper iiſdem num.partib.conſtare debet. 23
Orationes ad populum ex quot partibus conſtare debeant. 26
Orationis partes quæ ſint. 10.& 22
Orationis partes neceſſariæ quæ ſint. 25.& 29.
Orationis partes internæ quæ ſint. 25
Orationis partes maiores quę non ſint ponendæ. 27
Orator in exordio deliberatiuo quæ præſtare debeat. 83
Orator non poteſt alios mouere niſi moueatur ipſe. 385
Orator quomodo mouere ſeipſum poſſit. 383

P

Parabola quid ſit. 214
Paria quæ ſint. 214
Partitio eſt quaſi quædam propoſitionis particula. 169
Partitio quibus de cauſſis non ſit adhibenda. 177. 178. & 179.
Partitionis membra quot eſſe debeant. 180
Partitionis vitia. 181
Partiendi præcepta. 180.181.& 182.
Patria quomodo corpora afficiat. 354
Peroratio duplex. 367
Peroratio, eſt vna ex maioribus partib.orationis. 370
Peroratio quanta eſſe debeat. 393
Peroratio requirit motum. 380
Peroratio in quas partes diuidatur. 372
Peroratio, vide concluſio,& epilogus.

Perorationis finis qualis eſſe debeat. 393
Perorationis munera. 372
Perorationis virtutes. 368
Perorationis partes quo ordine collocandæ. 372
Perorationis genus dicendi quale eſſe debeat. 392
Peroratione quando vtendum. 373
Plaſton quibus conſtet partibus. 299
Præmunitio a proecthesi quomodo differat. 104
Præmunitio quomodo appelletur. 108
Præmonitio a propoſitione differt. 108
Præmunitione quas ob cauſſas ſit vtendum. 104
Præparatio ex quibus ſit orationis partibus. 109
Præparatio ex quibus conſtet partibus. 330
Præparationis cauſſæ quæ. 109
Priuantia quæ ſint. 215
Probatio an ſit orationis pars. 191
Probationem ad,quę ſint cognitu neceſſaria. 189
Probationes an ſint ratiocinationis partes. 256.260
Probatio quotuplex ſit. 190
Procataſtaſis quomodo fiat. 117
Procataſtaſi quando vtamur. 135
Procataſtaſim quid illuſtrem faciat. 135
Propoſitio quid ſit. 166.& 169.
Propoſitio ſyllogiſmi quid ſit. 250
Propoſitionis ſpecies quæ. 166.169.
Propoſitio per amplificationem quibus modis fiat. 48
Propoſitiones cuiuſmodi eſſe debeant. 39
Propoſitio quem locum in oratione obtineat.172.& 173
Propoſitio an ſit ſemper in omni oratione adhibenda. 176.& 177.
Propoſitio iudicationis, cum munitione eſt inducenda. 183.
Propoſitio vel diſtributio, quibus de cauſis in oratione adhibeatur. 179
Propoſitio compoſita quotuplex ſit. 166
Propoſitio vel diſtributio quib. modis adhiberi ſoleat.179
Propoſitio,

Propoſitio,an ſit neceſſaria orationis pars. 167.168.176
Propoſitio,an ſit pars ab alijs diſtincta. 168.& 169
Propoſitionis varia nomina. 164
Propoſitionis virtutes quæ ſint. 181
Propoſitionis approbatio quid ſit. 25
Propoſitione quid efficiat Orator. 169
Protaſis quid. 106
Protaſis cuiuſmodi eſſe debeat. 93.& 96.
Pueri quomodo ſint inſtruendi. 354

Q

QVæſtiones quot,& quæ ſint. 195
Quæſtio infinita motum requirit. 4
Quæ in exordio ſint adhibenda. 58
Quæ exordia maiorem vim habeant. 46
Quid ſit me exordio præſtandum. 85

R

RAtiocinatio oratoria,ex quot partibus conſtare dicatur. 260
Redditio quomodo fieri debeat. 96
Ratiocinatio quid ſit. 235
Ratiocinatio quot partes requirat. 252.& ſeq.
Regiones quomodo deſcribantur. 158
Relatio quibus moribus homines afficiat. 358
Rhetorica eſt facultas. 3
Relata quæ ſint. 213
Remotio a relatione quomodo differat. 198
Repugnantia quæ ſint. 213
Res omnes aliquem finem & terminũ habent.q.29.poſ.1

S

SEiunctio quid ſit. 167
Sententię quomodo plures poſſint habere rationes. 264.

Sententia-

Sententiarum vnio ex quibus fiat. 263
Similia quæ ſint. 214
Simplex concluſio quot modis reprehendi poſſit. 335
Simplex complexio quid ſit. 228
Sorites quid ſit. 237
Sorites, qua ratione diſſolui poſſit. 337
Status quid ſit. 195
Status quotuplex ſit. 195. & 198.
Status vnde oriantur. 195
Status qualitatis quotuplex ſit. 97
Status legalis ſpecies quot, & quæ ſint. 198
Status qualitatis loci qui ſint. 196
Status coniecturalis loci qui ſint. 196
Status aſſumptiui partes quæ ſint. 197. & 198.
Studia quos mores hominibus afferant. 35
Subiectio quibus modis reprehendatur. 335
Subiectio quid ſit. 228
Subiectum quid ſit. 211
Suffigurando quibus modis cauendum ſit faſtidiũ. 315
Suffiguratione in conficienda qua methodo vti poſſit. orator. 314
Suffiguratio oratoria quid a poetica differat. 311
Summiſſio qua ratione ſolui poſſit. 336
Summiſſio quid ſit. 229
Syllogiſmum variari poſſe quot modis contingat. 270
Syllogiſmus hypotheticus ex quibus fiat. 269. & 270.
Syllogiſmus quid ſit. 224
Syllogiſmus ex quibus conſtet. 224
Syllogiſmus eſt ſola, & perfectiſſima argumentandi forma. 248
Syllogiſmi partes quomodo appellantur. 249

T

Templa a quibus laudentur. 160
Tempora omnia in orationem cadunt. 312
Totum integrale quid ſit. 205
Totum vniuerſale quid ſit. 204

Totum

Totum in quantitate quid ſit. 205
Totum in modo quid ſit. 205
Totum in loco quid ſit. 206
Totum in tempore quid ſit. 205.206.
Turpe genus cauſæ quid ſit. 37

V

Violatio quid ſit. 231
Violatio quomodo refutetur. 336
Vitioſa enumeratio quibus modis ſoluatur. 334
Vſus quid ſit. 211

MAIORA MENDA, ſic emendato.

PAg.9.ver.19.nimirum.pag.53. ver 9.prudens.pag.61. ver.2. perſon s. pag.85.ver.1.promenda.pag.86. ver. 26. &c. ver.27. valet.pag.89.ver 24. duximus.pag.92.ver. 16.referta.ver 24.abſoleta.pag.28 ver.7.hoc loco.pa.135. ver.14 pro pag.148.ver.27.inhalaſſes.pag.150.ver.19.tam pag.192.ver.1.cauſſarum. pag.197.verſ 2. oratione. pag. 218.ver.15.fidem.pag.219.verſ.25 expolitiones.pag.230. ver.20.nos verſ.26. Cęcinna.par.268. verſ.1. ornato.par. 254.ver.15.ſoleant.par.291. verſ.19. conformatio. par.28. ver.15. ſimultatum.par.346.nu 8.medico. par.358. ver.4. quis vult,pag. 370.ver.18.obſeruares.par.375.ver 12. officijs pag.384.ver.11.morte.pag.384.ver.28.Antonius pag. 387.ver.26.noſtri.pag.394.ver.28.clarorum.pag.395.ver. 2.illud pag.390.verſ.17. inuidia pag.392.verſ.25. figuræ. pag. 393.verſ.7.iudicijs.

DE DISPOSITIONE ORATORIA.

De natura partibuſque Diſpoſitionis. Diſputatio Prima.

DE Oratoria diſpoſitione ſcripturus, ea priore loco difficultas mihi ponenda ac explicanda eſſet, an diſpoſitio in Rhetoricæ partibus numeranda ſit: quod ſane facerem, ni altero De arte dicendi libro, diſputatione quarta, id præſtitiſſem, numerandamq; eſſe ibi pluribus demonſtraſſem. Hac itaque veritate, quaſi totius operis fundamento poſita, ad rem ipſam explicandam aggrediar. Et quamuis eodem citato loco diſpoſitionis vim atque natu-

ram expoſuerim: tamen, vt in præſentia eadem de re, partim aliquid ex iam dictis repetendo, partim alia quædam addendo, iterum nonnihil dicamus, & docendi ratio, & vtilitas cum neceſſitate coniuncta nos admonent.

Hac ergo prima diſputatione, de nomine, natura, partibusq; diſpoſitionis paucis agam: poſtea de numero partium in quas Rhetorica oratio diſtribui ſolet, ſcribam: quarum numero conſtituto, deinceps de ſingulis partibus varijs diſputationibus copioſe diligenterq; diſceptabo. Quod igitur ad præſentem diſputationem attinet, vt eam docendi rationem, quam in alijs libris ſecutus ſum, retineam, nonnulla primum argumenta afferam, quibus quæ de diſpoſitionis oratoriæ natura a dicendi Magiſtris docentur, refellere conabor.

Lib. 4. cap. 5. *Primum, Rhetorica diſpoſitio, auctore Fabio, nullis præceptis comprehendi poteſt: idq; vel ex eo patet, quod ſit valde incerta, & non tam ab arte, quam a dicentis voluntate, & eorum apud quos dicitur conditione pendeat: quare non poterit eſſe definitionis capax: cum ea, quæ definienda ſunt, certa debeant conſtare natura.*

Deinde, ſi diſpoſitio definiri poteſt, certe eo modo, quo a M. Tullio, ab Herenniano auctore, & a Fabio deſcripta fuit: quorum definitiones

nes a poſterioribus dicendi magiſtris approbari ſolent: atqui, quæ ab illis afferuntur definitiones, quas nos loco ſupra citato retulimus, in eo peccare videntur, quod dicant, diſpoſitionem eſſe diſtributionem, actionem nimirum quandam, qua rem aliquam in ordinem redigimus, & plura, quæ præ manibus habemus ſuo loco conſtituimus, quod omnino falſum eſſe videtur. Vt enim Rhetorica eſt quædam ars, ſiue facultas, ita etiam partes ex quibus conficitur, erunt facultates quædam, & non actiones. Propterea aliquando Tullius dixit, eloquentiam, artem nimiruu dicendi, ex quinque eſſe conflatam artibus, inuentione, diſpoſitione, & alijs tribus. Non igitur hi Magiſtri verum aſſignarunt diſpoſitionis genus. Lib. I. de orat.

Poſtea, in eo deſcriptiones illæ peccare videntur, quod non eam definiant diſpoſitionem, qua Oratores vtuntur, & quæ eſt huic arti propria; ſed quandam aliam omnibus artibus communem: cum nulla ſit ars, quæ diſpoſitionem in ſuis operibus non adhibeat: at eam tradere definitionem, quæ in aliam rem transferri queat, vel ipſo M. Tullio auctore, vitium eſt in definiendo maximum: male igitur definiunt, dum dicunt, Diſpoſitio eſt ordo, & diſtributio rerum, quæ demonſtrat, quid quibus in locis ſit collocandum: vel, eſt rerum Auctor Heren. lib. 2.

Cic.li.1. de Inu. li.7.c. 2. *inuentarum in ordinem diſtributio: vel, rerum quam optimo ordine collocatio, vt Fabio placet.*

In part. *Poſtremo, non videtur verum, quod Cicero de diſpoſitione loquens, dixit, in quæſtione infinita ſequendum eſſe locorum ordinem; cum hu huiuſmodi prçceptio nullo modo ſit neceſſaria, nec ipſe vſpiam eam ſeruauerit, nec omnes locos ipſe attigerit, congruentiq; ratione numerauerit. Nec etiam verum eſſe videtur, in quçſtione finita, ideo alia opus eſſe diſpoſitione, quod in ea ſint adhibenda, quæ ad motum faciendum conferunt; quaſi in quæſtione infinita* In orat. pro Roſ. Amer. *motus adhiberi non debeat, & ipſemet Tullius in locis communibus tractandis non adhibuerit, vt cum locum de parricidio explicauit. Atque hæc pauca argumenta, dubitandi cauſa, attuliſſe ſufficiat.*

Et quoniam in hac diſputatione nullæ occurrunt recenſendæ, & exponendæ auctorum ſententiæ, quæ ad propoſitam difficultatem declarandam neceſſaria ſunt ea, de more noſtro, quibuſdam fundamentis explicabimus, & nonnullis poſitionibus definiemus.

Primum fundamentum, hanc Rhetoricæ partem, Latini Rhetores diſpoſitionem, collocationem, diſtributionem, & ordinem appellarunt: Græci vero ſcriptores methodum, taxim,

xim, & œconomiam, id eſt ordinationem, & diſpenſationem. Quæ pars duobus modis conſiderari poteſt; vno quidem, vt eſt in vſu, & actum quendam rationis deſignat, quo quæ inuenta ſunt in ſuis conſtituuntur locis: qua ratione eam conſideraſſe videntur, qui ad actionis Categoriam reuocarunt, dum diſtributionem, & collocationem, eam definiendo, eſſe dixerunt: Altero modo, vt deſignat facultatem quandam, ſiue habitum in intelligentia exiſtentem, quo qui eſt imbutus, quæ ei dicenda ſunt, optimo ordine, & ad perſuadendum accommodate diſtribuere poteſt: ſub qua conſideratione ſequenti fundamento a nobis deſcribetur. Vt autem de qua diſpoſitione hic habeatur ſermo intelligas, animaduerte duplicem eſſe diſpoſitionem: alteram communem, quæ in ijs eſt, qui omnium artium, ac ſcientiarum genere ſunt ornati, quos proprio vocabulo, Peritos appellamus: Hi enim cum omnes percalleant ſcientias & artes, quæcunque in diſputationem veniunt, optime diſtribuere, & collocare ſolent: alteram priuatam cuiuſcunque artis, & prҿſertim practicæ, cum quæuis ars ea quæ tractat ad ſuum finem accommodate diſponat: Quamuis omnes fere diſciplinæ, vna excepta dicendi facultate, ea

vtantur methodo, quam Dialecticus præſcribit. Nos de ea acturi ſumus diſpoſitione, quæ eſt Oratori propria, quæ non parum a dialectica, vt alio loco diximus, eſt diuerſa.

Secundum fundamentum, Rhetoricam diſpoſitionem altero modo conſideratam, hoc pacto deſcriberes, Diſpoſitio eſt habitus in ratione exiſtens, quo quæ inuenta ſunt, pro rei & cauſæ natura, adiunctorumque ratione, prius, aut poſterius apte ad perſuadendum collocantur. Quæ ſit huius finitionis ſententia, ex ijs, quę diſputatione citata diximus, & ex ijs, quæ ſubijciemus haud obſcure intelligi poterit: in qua tres priuatim inſinuantur diſpoſitionis cauſæ, eiuſque genus, & differentiæ. Quod ſi eam vt eſt in vſu conſideres, iterum hac ratione deſcriberes, Diſpoſitio eſt inuentarum rerum, pro ipſarum & auditorum cauſſæque ratione ad perſuadendum idonea diſtributio. Nomine rerum, intellige argumenta, & ſententias, quæ ordinis beneficio illuſtrantur. Quod ſi diſpoſitionem vniuerſe ſumptam ſpectes, hoc pacto finires, Diſpoſitio, ſiue methodus, eſt eorum quæ in aliqua diſciplina tradantur collocatio, ſecundum prius & poſterius, prout congruit naturæ rerum, vel captui & affectui audientium. Hanc diſponendi

Lege li. j. de art. dicen. diſp. 5.

facul-

facultatem habitumque, de oratoria loquor, non inuenires in illis, qui ſolum dicendi præcepta norunt, ſed in ijs, qui cum arte rerum cognitionem, dicendi vſum, rerumque humanarum experientiam, prudentiamque coniunxerunt: quæ prudentia, & experientia maxima eſſe debet in eo, qui popularem orationem ſit diſtributurus. Cic. lib. 2. orat.

Tertium fundamentum, in quo quaſdam diſpoſitionis diuiſiones afferam, & exponam. Quod ergo ad diuiſionem attinet, tres in partes primum commode diuidi poteſt, quod alia naturalis, alia arbitraria, alia artificioſa dicatur diſpoſitio, iuxta triplicem rerum, quæ ſub diſtributionem cadunt, ordinem. Rerum enim aliæ ſunt quæ certum et fixum ſtatum habent; vnde certa diſtribuendi ſumitur ratio, quam naturalem vocamus: cuius ex philoſophorum doctrina quattuor ſunt ſpecies. Nam alia ſunt, quæ dicuntur priora vel poſteriora natura; vt ſunt ea, quæ ita ſe habent, vt ſint neceſſario coniuncta, et vnum ab alio pendeat, non contra; quo modo, ſol eſt prior natura ſua luce: lux vero eodem ordine poſterior. Alia dicuntur priora, vel poſteriora temporis ordine: vt annus elapſus, & annus præſens, & is qui ædificat, & ædificium: ille tempore prior, hoc vero poſterius.

Alia quæ poſitione priora, vel poſteriora dicuntur; quo modo fundamenta in domo, ſi aſcendas, priora ſunt quam tectum, & caput, ſi deſcendas, quam collum prius. Denique, alia ſunt, quæ dignitate & præſtantia priora, aut poſteriora cenſentur: quo modo anima eſt corpore prior, & Pontifex Epiſcopo, & ſacra Theologia Iuriſprudentia. Atque in hoc rerum genere exponendo, eum ſequi ſolemus ordinem, quem res ipſæ habent: & hæc tractandi ratio, naturalis dicitur Diſpoſitio. Deinde, rerum aliæ ita ſe habent, vt nulla certa ratione ſint inter ſe affectæ, atque connexæ; vt ſunt varij populorum mores, varia hominum geſta, & denique, quæ nulla certa lege fiunt. Atque in hoc rerum genere tractando ea vtimur diſpoſitione, quæ nobis viſa fuerit accommodatior, ac proinde arbitraria, ſiue ad arbitrium nominatur: ita tamen debet eſſe arbitraria, vt ratione deſtituta non videatur. Poſtremo, aliæ ſunt res quæ certo ordine geſtæ ſunt; ſed tamen, data opera, in illis exponendis earum perturbatur ſeries; idque, vel delectandi, vel perſuadendi gratia, vt latius diſputatione citata ſcripſimus, quem locum conſulas neceſſe eſt. Naturali, & arbitraria diſpoſitione, in diuerſis

uerſis tamen rerum generibus exponendis, potiſſime Hiſtorici vtuntur; artificioſa Poetæ & Oratores; apud quos & naturalis, & arbitrariæ diſpoſitionis eſt vſus.

Rurſus diſpoſitio duplex eſt, altera quæſtionis quæ tractanda proponitur; altera orationis, qua ipſa quæſtio explicatur. Illa rurſus duplex, altera ſimplicis quæſtionis, cum aliquid ſimpliciter tractandum proponitur; vt de virtute, de legibus, de iuſtitia, de humana felicitate, & alijs ſimilibus; in quibus explicandis ea poſſumus vti diſpoſitione, quam libro primo de Inuentione tradidimus, quæ eſt huiuſmodi, De rei Cap. 3. *nomine, exiſtentia, definitione, qualitate, cauſſis, effectis, partibus, & de ijs quæ* Docto. *ſunt affinia, & ſimilia, ac etiam de con-* Lou. *trarijs.*

Altera quæſtionis complexæ, quando nimicum de alicuius rei veritate inquirimus: & tunc, ſi quæſtio ſit infinita, ex Marco In part. *Tullio, in eius probatione, eum fere ſequi poſſumus ordinem, quem ipſe tradidit locorum, ex quibus argumenta petuntur; quamuis hæc præceptio non ſit neceſſaria, vt etiam ipſemet Marcus Tullius inſinuauit:* Lege *Adde etiam quod non omnes inuentionis lo-* Streb. *cos numerauit; quos etiam multo meliore* in Top.

modo

modo diſtribuere potuiſſet: vt omittam, quod non omnibus locis ad quamcunque quæſtionem explicandam vtimur, ſed ſolum quibuſdam, ijs videlicet, qui magis idonei, & ad rem accommodati, vt non vno in loco idem præcipit, viſi fuerint. Quod ſi quæſtio erit finita, quoniam in ea adhibendus eſt motus, tunc tractandi ratio accommodanda erit ad perſonas aliaſque circunſtantias, ac proinde diuerſa diſpoſitio, maiore cum arte adhibenda erit, de qua potiſſimum hoc libro a nobis ſcribendum eſt, & a dicendi Magiſtris ſcribitur: quam in duas diuidunt partes; in eam, quæ ex arte proficiſcitur, & in eam, quæ ex prudentia, & Cic.li.2. de Ora. *iudicio Oratoris pendet: Illa dicitur ex arte fieri, in qua ea omnia ad perſuadendum adhibentur, quæ ars, certa & quaſi naturali quadam ratione, adhibenda eſſe demonſtrat: vt quod prius eos conciliemus apud quos dicturi ſumus: quod quæ probanda ſunt narremus, & proponamus prius: quod propoſita confirmemus, & quæ fuſius dicta ſunt, paucis concludamus: vnde plures exoriuntur orationis partes quodam naturali ordine conſtitutæ, & ad perſuadendum accommodatæ: quæ hoc vulgari tritoq; continentur verſiculo, Exorſus, narro, ſeco, firmo, refuto, peroro. Illa vero ex cõſilio & prudentia Oratoris, quando pro re de qua agitur,*

tur, & pro perſonarum, & locorum, tempo-rumque ratione, dictus ordo immutandus, & plures, vel pauciores partes hoc vel illo modo diſpoſitæ, adhibendæ ſunt. Priorem diſponendi rationem Cicero, naturalem appellat, non quod non ſit ex arte, ſed quia natura eum ordinem poſcere videtur: hanc vero artificioſam, non quod a ſola petatur arte, cum de ea vix vlla, ob eius incertitudinem, dari pręcepta poſſint, ſed quod ab induſtria & conſilio pendeat dicentis. Illa potiſſimum in genere iudiciali, hac in duobus alijs generibus vtimur: quibus in generibus diuerſa diſponendi ratio adhiberi ſolet: vnde alia enaſcitur diſpoſitionis partitio: quod alia ſit generis iudicialis, alia delibe ratiui, alia demonſtratiui: de quibus agam cum de tribus cauſarum generibus integrum conficiam librum. Lege di ſput. citatam.

Præterea ex M. Tullio hæc alia colligitur diſpoſitionis diuiſio: quod vna ſit Accuſatoris, qui rerum ordinem, vt ipſe in Verrinis fecit, ſequitur; altera Patroni, qui pro rerum, & temporum, & perſonarum varietate varie diſtribuit, vt in Oratione pro Milone, & Cluentio idem auctor fecit. In Part.

Denique ex eodem Tullio, hanc poſtremam colligere licet diſpoſitionis diuiſionem, quod alia ſit orationis, iuxta ſuas partes, alia argu- In Part.

mentorum quæ certis in locis, & certo ordine diſtribuenda ſunt, alia earum rerum, quæ ad motus conficiendos conferunt: qui motus, in quibuſdam partibus adhibendi ſunt; vt in exordio & peroratione: quamuis in tota oratione, ſpargendi ſint: ita, vt alibi lateant, alibi aperte ſentiantur motus.

Cic.li.2. de Ora.

Adnotauit etiam Trapezuntius, aliam cauſſę ſimplicis, vt eſt ea, in qua vna eſt conſtitutio, aliam compoſitæ, quæ plures conſtitutiones habet, eſſe debere diſpoſitionem: ſimplex cauſſa artificioſam præcipue collocationem requirit, compoſita vero eam fere, quę ex dicentis conſilio pendet. Qui de hac diſtinctione plura cognoſcere cupit, quam ſupra citaui, eam diſputationem legat: vbi ea etiam inueniet, quæ de oratorio ductu latius expoſuimus. Eſt autem ductus nihil aliud, quam certa texendæ & conſtituendæ orationis ratio, quam Cicero, tractationem, alij methodum vocant: cuius ſpecies eodem loco explicatas inuenies. Atq; ex his facile intelligeres, diſpoſitionis vſum in tribus cauſſarum generibus maxime ſpectari, in laudationib. de deliberationibus, iudicijs, finitiſq; quęſtionibus. His poſitis fundamentis, quaſdam adſtruam poſitiones, quibus ad propoſitam difficultatem plene, planeque reſpondebo.

Prima poſitio, Diſpoſitio eſt artis Rhetoricæ

pars,

pars, ex earum numero, quas integrales vocãt. Huius poſitionis explicatio & probatio petenda eſt ex prima, ſecunda, & quarta diſputatione citati libri: hoc loco, tanquam totius operis fundamentum, hæc doctrina pro vera ponitur. Secunda poſitio, rhetorica diſpoſitio eſt longe a dialectica diuerſa. Hanc etiam poſitionem eodem loco explicatam, & probatam inuenies. Eam autem veram eſſe is aperte intelligeret, qui animaduerteret, nihil de partibus orationis, nihil de argumentorum diſtributione, nihil de diuerſa argumentationis tractatione Dialecticos ſcribere, vt Rhetores faciunt. Verum cum in re manifeſta, & alibi probata verſer, nihil eſt cur in ea confirmanda fruſtra tempus, & operam perdam.

Tertia poſitio, hæc pars tum a Latinis, tum a Grecis ſcriptoribus, ſupra recenſitis nominibus conuenienter nominatur: ſunt enim ſingula ex ipſa rei natura deprompta, ad eamq; ſignificandam valde accommodata: Et licet nomen grecum, œconomia, translatum ſit a domus, ſeu familiæ adminiſtratione; cõmode tamen & apte in hunc locũ ex proprio domicilio migrauit.

Quarta poſitio, hec Rhetorice pars, & arte tradi, & definiri potuit. Quod de ea dari potuerint præcepta, alibi contra opinionem Quinctiliani aperte demonſtrauimus: quod definiri Lib. 2. de ar. dicen. q. 4.

potuerit,

potuerit, patet; quoniam diſpoſitio quendam certum habitum, ex certis præceptis, & cauſis conflatum, deſignat: qui certos habet effe ctus ad quendam certum finem obtinendum, certumque genus, & certas proprietates: quare definiri poterit. Sunt autem diſpoſitionis effectus fere iſti: confert ad clare perſpicueque dicendum, & docendum, ad memoria retinendum, ad animos tractandos, & delectandos, & denique ad id, quod volumus facilius perſuadendum.

Quincta poſitio, conuenienter ab auctoribus ſupra citatis, & ſpeciatim a M. Tullio diſpoſitio definita fuit: cuius definitio ab omni calumnia optime defendi poteſt: id vel ex eo patet, quod omnes poſteriores ſcriptores eam approbarunt, & retinuerunt. Nec propterea, quam nos attulimus, eam ineptam & minus ad diſpoſitionis naturam euoluendam accommodatam diceres, vel non accuratius traditam fuiſſe temere affirmares: vt ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus, intelligi ſatis aperte licet.

Sexta poſitio, diſpoſitio rhetorica has in partes commode diuidi poteſt; vt alia naturalis, alia artificioſa, alia arbitraria, ſeu ex dicentis prudentia & conſilio ſumpta dicatur: ad quas partes omnes alias diuidendi formas ſuperius explicatas facile reuocares. Naturalem

lem eam voco, quæ rerum ordinem ſequitur: artificioſam, quam ars excogitauit, & pręceptis expoſuit: arbitrariam, quæ pro cauſarum, & temporum, locorumque ratione artificioſam immutat, & ex dicentis conſilio magis, quam ex vllis pręceptis pendet. Vel ſi mauis ad duas partes reuoca, ad naruralem & artificioſam, cuius ratio, inquit Tullius, de collocatione loquens, eſt duplex: altera, quam affert natura cauſſarum: altera, quæ Oratorum iudicio, & prudentia comparatur. Nam, vt aliquid ante rem dicamus, deinde vt rem exponamus, poſt, vt eam probemus noſtris, pręſidijs confirmandis, contrarijſque confutandis, deinde vt concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus natura ipſa præſcribit. Vt vero ſtatuamus ea quæ probandi, docendi, perſuadendi cauſſa dicenda ſunt, quemadmodum componamus, id eſt vel maxime proprium Oratoris prudentiæ. Multa enim occurrunt argumenta, & quæ ibi ſequuntur. Non me latet eſſe quoſdam, qui diſpoſitionis duas faciunt partes; quarum vna verba, altera res collocat: verum illa, quæ nihil aliud eſt, quam certus verborum in oratione ſitus, vnde quædam orationis naſcitur elegantia, potius ad elocutionem, quam ad hunc locum pertinet, de qua nos alio dicemus libro.

Cic. li. 3 Oratorio.

M. Nic. lib. 3. c. 1

Septima poſitio, Is erit diſponendi facultate

te

te præditus, recteque diſponere poterit, qui præcepta ab arte tradita nouerit, qui rerum de quibus dicit non obſcuram habuerit notitiam, qui rerum tractandarum non fuerit ignarus, & denique, qui in dicendo nonnihil fuerit exercitatus. Eſt enim vt alias ſcripſi, magni iudicij, maximeque prudentiæ, & ſapientiæ apte & accommodate, quæ dicenda ſunt, diſtribuere.

Cic.li.2. Orat.

Octaua & vltima poſitio, qui recte diſponere voluerit, is quæſtionis genus diligenter inſpiciat, an ſit ſimplex, an coniunctum, an infinitum, an finitum, cognitionis, actionisve: ac etiam cauſſæ genus, an ſit iudicij, an deliberationis, an exornationis; locos præterea, & argumenta, atque argumentorum tractationem; & denique omnia quæ ad conciliandum, ad probandum, mouendumque inuenta & excogitata ſunt, quibus in orationis partibus ponere, & quas in partes orationem diſtribuere ſit neceſſe, accurate videat. De quibus omnibus, hoc toto opere a nobis præcipiendum eſt. His ita conſtitutis atque explicatis poſitionibus, ad argumenta initio poſita, quæ facile ex dictis ſolui poſſunt, paucis reſpondeamus.

Ad primum, falſum eſt, vt libro citato plane docuimus, de diſpoſitione certa non poſſe dari præcepta: & quod ad naturalem diſpoſitionem

nem attinet, id perſpicuum eſt. De ea etiam quæ in artificioſa vocatur, generatim, certa traduntur documenta. Quo fit, vt tanquam certus habitus, definiri poſſit, & definita fuerit.

Ad ſecundum, quid ad hoc argumentum reſpondendum ſit, ex iactis fundamentis, planum eſt: Illi enim auctores deſcripſerunt diſpoſitionem, non vt eſt habitus quidam, ſed vt ab habitu proficiſcitur, & re ipſa exercetur. Cum vero Tullius dixit, eloquentiam conflatam eſſe ex quinque magnis artibus, accepit eloquentiæ partes, vt ſunt quidam habitus in ratione exiſtentes.

Ad tertium, cum Rhetores diſpoſitionem deſcribunt, eorum deſcriptiones intelligendæ ſunt iuxta ſubiectam materiam, de ea nimirum diſpoſitione, qua ipſi vtuntur, & non de quarumcumque rerum diſtributione, ſed earum, quæ ſunt huic arti ſubiectæ. Quod ſi aliorum finitiones non ita huius partis vim atque naturam exprimunt, quam nos attulimus, ea non diſpliceat: quæ profecto paullo melius diſpoſitionis eſſentiam attingere videtur.

Ad quartum, cum quid hoc argumentum probet, & qua ratione ſolui poſſit, ex ijs quæ dicta ſunt manifeſtum ſit, nihil eſt neceſſe vt aliquid priuatim de eo dicamus. Hac itaque

prima explicata diſputatione, quæ eſt veluti totius huiuſce operis fundamentum, ad aliam pergamus, vbi de numero partium orationis, in qua diſponenda hæc ſecunda verſatur eloquentiæ pars, nobis agendum eſt.

De numero partium Orationis. Diſputatio II.

NAtura partibuſque Rhetoricæ diſpoſitionis vniuerſe expoſitis; ſequitur vt de ea parte dicamus, quæ artificioſa nominatur, in qua explicanda dicendi magiſtri plurimum curę poſuerunt: quę, vt ſupra ſcripſimus, in certa partium orationis cōſtitutione et tractatione poſita eſt. De hac itaq; diſpoſitionis ſpecie ſcripturo, illa ſeſe primum difficultas diſcutiendam offert, ſit ne certus quidam partiū orationis numerus; et ſi eſt, quænam illæ ſint, cum alij plures, alij pauciores partes faciant. Et vt rem dubitatione non carere demonſtrem quaſdam affero rationes, quibus non eas eſſe quas Rhetores eſſe dicunt, demōſtrare conabor.

Primum, exordium, narratio, epilogus, & propoſitio non videntur eſſe orationis partes, quod tamen omnes affirmant: quoniam multæ ſunt orationes, in quibus vel omnes iſtę partes,

vel ex eis aliqua deſideratur, vt ſpeciatim patet in orationibus Poetarum: & apud Oratores inueniuntur orationes multæ in quibus, vel vna, vel alia deeſt: igitur non ſunt cenſendæ partes; cum id non ſit alicuius rei pars, quod non eſt cum re ſemper coniunctum. Quam rationem grauiſſima Ariſtotelis auctoritate confirmares, qui duas tantum partes agnoſcere videtur propoſitionem, & confirmationem: & præco in Areopago pro foribus præſcribebat, μὴ προοιμιάζου, μὴ δὲ ἐπίλεγε, id eſt, ne procemio, neue epilogo vtare. Lib. 3. Rhet.

Deinde, ex eo probares nullum eſſe certum partium orationis numerum, quod variæ ſint hac de re Rhetorum ſententiæ: cum alij duas, alij quattuor, alij denique plures, vel pauciores eſſe ſtatuant, ita vt neque in numero, neque in ratione numeri inter ſe conſentiant.

Præterea, ſi rhetorica oratio certas deſideraret partes, in omni oratione adhibendæ eſſent omnes; quod tamen non ſolum eſt contra bonorum Oratorum vſum, ſed etiam cōtra artis præcepta, & rationem ipſam: qui igitur poſſumus, aut debemus definitas aſſignare orationi partes?

Contra vero, vt maior appareat difficultas, omnem orationem certis ſemper partibus conſtare debere, ex eo probares, quod non poſſit

eſſe perfecta, niſi definitis partibus fuerit conſtituta: ſicuti domus nunquam erit abſoluta, ni fundamenta, parietes, & tectum habeat, id quod in omni re, quæ arte, vel natura fit obſeruare licet. Quod confirmares ex ea doctrina, quam dicendi magiſtri tradunt, cum in omni oratione exordium, narrationem, & quaſdam alias definitas requirant partes. Atque his paucis rationibus propoſitæ rei difficultas ſit demonſtrata: de qua hæ ſunt Rhetorum ſententiæ.

Parrhas cap. 31. Hiero. Paduã. *Prima Hermogenis libro primo de inuentione, qui ſeptem facit orationis partes: exordium, ſiue principium, narrationem, antecedentem narrationem ſiue cauſſę expoſitionem, partitionem, ſeu diuiſionem, confirmationem, refutationem, & epilogum. Quod ſi cum aliјs poſtremam partem in duas diſtribuas, videlicet, in epilogum ſeu repetitionem, & in amplificationem, quæ animos commouet, magnitudinemque rei, aut indignitatem oſtendit, quam Græci dinoſin vocant, octo faceres partes.*

Lib. 1. de orat. Lib. 2. de orat. Ludo. Gran. lib. 4. *Secunda ſententia Herenniani auctoris, quem nonnulli ſequuntur, qui orationem in ſex partes diſtribuit: in exordium, narrationem, diuiſionem, ſeu partitionem, confirmationem, confutationem, vel reprehenſionem, & concluſionem: eandem opinionem in priore de inuen-*

tione

tione libro ſecutus eſt Tullius, qui aliquando ſeptem numerauit partes, addendo ſuperioribus digreſſionem.

Tertia Fabij, qui quinque tantum partes agnoſcit, proœmium, narrationem, probationem, refutationem, & per orationem: quam nonnulli libenter amplectuntur. Herma.

Quarta Conſulti Chirij, qui quattuor voluit eſſe orationis partes, principium, narrationem, argumentationem, atque per orationem: quam opinionem quidam alij approbant, ſed tertiam, contentionem, & confirmationem appellant. Quem numerum aliquando Cicero etiam poſuit. Palmir. lib. 2. Georg. Val. In part.

Quincta Ariſtotelis, qui duas tantũ partes in omni oratione neceſſarias eſſe exiſtimauit, propoſitionem, & confirmationem: quam fidem vocat: atque eos ridiculoſe facere dixit, qui alias partes addunt; cum tantum hæ duæ ſint proprie orationis partes: aliæ enim, vt proœmium, narratio, & collatio, id eſt, amplificatio, ſeu epilogus, ſolum in iudicijs, & controuerſiis adhiberi ſolent. Qui tantum tres poſuerit partes vidi neminem: quod tamen ſatis congruenter affirmaret quiſpiam. Atque hæ ſunt in hac diſputatione Rhetorum ſententiæ: ad quam explicandam hæc ſtatuo fundamenta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Primum fundamentum, cum oratio ſit veluti corpus quoddam, diuerſis profecto erit conſtituta partibus, quarum diuerſa ſunt genera. Partium ergo aliæ ſunt intrinſecæ, ex quibus rei natura proxime conficitur, quas Philoſophi eſſentiales vocant; vt ſunt materia & forma, exempli gratia in homine, anima & corpus: aliæ quę ad rei quantitatem & molem pertinent; vt in humano corpore, caput, pedes, & brachia: Quarum aliæ eiuſmodi ſunt, vt ſine illis corpus conſiſtere non queat, vt in eodem homine caput & pectus: aliæ ſine quibus res eſſe quidem poteſt, ſed manca, & mutilata, vt, manus, & digiti. Quare partium aliæ maiores, aliæ minores, aliæ paruæ, & quaſi aliarum particulæ, eſſe dicuntur: Quas omnes, ſuo modo, etiam in oratione aſſingnare licet. Etenim res & verba ſunt veluti partes naturæ, ſeu eſſentiæ: propoſitio & confirmatio, veluti partes quantitatis neceſſariæ: aliæ vero omnes quaſi perfectrices: quæ omnes in alias ſecari poſſunt, vt ſuo poſtea explicabitur loco.

Secundum fundamentum, quamuis oratio ſit veluti corpus quoddam, vt paullo ante dicebamus, quod ſuas habet partes, membra, & particulas: tamen meminiſſe oportet, eam eſſe ſimilium naturam, vt non ſint omnino

idem.

idem. Quare, licet humanum corpus perfectum dici nequeat, niſi certis ſemper partibus conſtet, ita vt, nec plures, nec pauciores vnquam habere debeat: tamen idem de rhethorica oratione affirmare non licet: quæ interdum pluribus, interdum paucioribus, & modo his, modo illis partibus perfecta eſſe cenſetur: itaut, ſi ſemper certum partium numerum certaſque partes adhiberes, non artificioſam orationem bellumque corpus, ſed potius monſtrum quoddam conficeres. Cauſſa vero cur orationis corpus, nec definito partium numero, nec certis partibus componi debeat, ea eſſe videtur, quod oratoria dictio, & auditoribus, & rebus, lociſque accommodanda ſit; pro quorum ratione, plures, aut pauciores, has, vel illas requirit partes: Quæ autem, & quot in quouis cauſſarum genere deſiderentur ſuo dicetur loco.

Tertium fundamentum, cum de numero partium orationis diſputamus, de eo numero noſter intelligendus eſt ſermo, quo oratio perfecta eſſe cenſetur; de partibus nimirum neceſſarijs, ita vt nulla deſideretur, & abundet nulla. Rurſus intelligi poteſt de partibus neceſſarijs, vel in oratione vniuerſe, vel in hac, vel illa oratione, & in hoc vel illo cauſſarum genere. Partium autem, alię putantur neceſſarię ſua vi at-

que natura: aliæ vero aliunde, ex ipſo videlicet cauſæ genere, vel ex parte auditorum, locorum, & temporum. De partibus ſimpliciter neceſſarijs certa doctrina dari poteſt, de ijs vero quarum neceſſitas extrinſecus ſumitur, quamuis vniuerſe aliquid certi ſtatui poſſit; non tamen in ſingulis cauſſis.

Quartum fundamentum, opinionum in partibus orationis aſſignandis diuerſitas, ex eo primum naſcitur, quod vnam & eandem partem diuerſis nominibus ſcriptores appellare ſolent; vt eam, qua oratio finitur, alij epilogum, alij perorationem, alij concluſionem, alij denique amplificationem vocant. Oritur deinde diuerſitas ex eo, quod aliqui maiores partes in minores ſecant, vt contentionem in confirmationem & refutationem, idemque de epilogo dicas. Et denique alij quaſdam minores eſſe exiſtimant, & ideo eas ad maiores reuocant; alij contra eaſdem tanquam maiores ſeorſim collocant & numerant.

Illud autẽ eſt hoc loco diligenter animaduertendum, & perpetuo in Rethorum lectione obſeruandum, dicendi magiſtros in ſuis partitionibus, & enumerationibus faciendis non eſſe ita religioſos, vt Dialectici ſunt: cum eas ſolum interdum numerent partes, quas ſunt explicaturi, notas vero, vel minus certas ſilentio tranſeuntes:

ſeuntes: quod Ariſtoteles, Hermogenes, & M. Tullius non vno in loco fecere. Hoc qui non animaduertunt, vel ipſos auctores iniuria damnant, vel errandi occaſionem ex ipſorum ſcriptis ſumunt. His ita adnotatis, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, res & verba ſunt internæ orationis partes. Hæc poſitio eſt manifeſta, ſi quidem quæuis oratio ex verbis & rebus, ſiue ſententijs neceſſario, proximeque conficitur, vt libro de partibus eloquentiæ diximus. Cic. li. 2 Oratorio.

Secunda poſitio, vniuerſe loquendo, duæ partes ſunt in omni oratione ſimpliciter neceſſariæ, propoſitio, & confirmatio. Nomine propoſitionis intelligi volo quodcunq; initium orationis, ſiue ſit per modum exordij, ſiue narrationis, ſiue per quemcunque alium auſpicandæ orationis modum, quo id, de quo dicturi ſumus innoteſcat, & oratio initium capiat.

Probatur primum hæc poſitio Ariſtotelis auctoritate loco ſupra citato: cui adde conſuetudinem illam Areopagitarum, qui ſolum duas admittebant partes. Deinde, quia ſi ſpectemus rei naturam, ſola propoſitione, & confirmatione ad alicuius rei fidem faciendam opus eſt: & ſi quæ aliæ adhibentur partes, id non ex natura rei fit, ſed ratione aliqua extrinſecus petita. Poſtremo, quia aliquæ ſunt cauſæ, in quibus, ſi

propoſueris,

propoſueris, & confirmaueris, quod voles, efficies: vt accidere poteſt in deliberationibus, prẹſertim ſi dictio eſſet breuis, vbi nulla opus eſſet peroratione. Huiuſmodi orationes quæ duas tantum habent partes, frequentiores ſunt apud poetas, quam apud oratores apud quos nullam fortaſſe reperies, quæ tantum duabus ſit conſtituta partibus.

Tertia poſitio, ſi loquamur de orationibus, quas Oratores ad populum habere ſolent, tribus minimum debent conſtare partibus, propoſitione, vel exordio, ſiue principio, confirmatione, & concluſione, ſiue epilogo. Hanc doctrinam non exiſtimo eſſe contra Ariſtotelis ſententiam; quia cum huiuſmodi orationes ſoleant eſſe longiores, aliqua ſaltem breuis concluſio quæ fuſius diſputata in pauca conferat, adhibenda eſſe videtur. Nomine autem concluſionis intelligo quamcunq; finiendẹ orationis formam. Hæc noſtra poſitio his confirmatur rationibus.

Primum, quia vt omnes philoſophi docent, ſingulæ res, ſiue natura, ſiue arte fiant, initio, medio, & fine conſtant: ergo etiam oratio, vt ſit omni ex parte abſoluta, his partibus conſtare debebit. Deinde humanus ſermo ad popularem ſenſum accommodatus, debet habere aliquem ingreſſum, qui erit loco principij, aliquem

quem progreſſum loco confirmationis, & aliquem terminum concluſionis loco. Denique cum oratoria dictio ſit veluti quoddam totum ex partibus, ſiue membris conflatum, eius principium erit quaſi caput, confirmatio, corpus, & concluſio quaſi pedes quibus conſiſtat: quas partes in omni maiore, & perfecta oratione inuenire licet. Anton. Lul.

Quarta poſitio, confirmatio & confutatio, & collatio, ſiue amplificatio, non ſunt ponendæ tanquam partes maiores orationis inter ſe diſtinctæ. Hanc poſitionem infra late probabo, cum de his partibus priuatæ inſtituentur diſputationes.

Quincta poſitio, narratio in ea oratione in qua adhiberi debet, eſt vna ex primis orationis partibus. Intelligenda eſt hęc poſitio, non ſolum de narratione, a qua tanquam a propoſitione initium capit oratio, ſed etiam de ea, quæ poſt exordium poni conſueuit. De qua poſitione plura inferius, cum ſpeciatim de narratione agemus.

Sexta poſitio, probabilis eſt ea opinio, quæ tantum quattuor maiores agnoſcit orationis partes: quæ poſitio his confirmatur rationibus.

Primum bonorum ſcriptorum auctoritate: Ariſtoteles duabus partibus, quas per ſe neceſſa-

neceſſarias eſſe docuit, duas alias ſolum adiecit, exordium, & epilogum. M. Tullius non vno in loco eundem numerum poſuit: vt in partitionibus ſub principium, vbi ad quæſtionem de partium numero reſpondens, dixit eſſe quatuor; quarum duę ad rem docendam valent, narratio & confirmatio: ad impellendos animos duæ, principium, & peroratio. Eodem libro de ſingulis diſputaturus eandem doctrinam repetit. Et in oratore ad Brutum, ait artis eſſe, orationem ordiri, rem breuiter exponere, ſua confirmare, & poſt omnia perorationem inflammantem, reſtinguentemve concludere. Accedat etiam poſteriorum ſcriptorum opinio, vt conſulti Chirij, Trapezuntij, Laurentij Palmyręni, & aliorum. Deinde, ſi quę pars eſt ponenda tanquam ab alijs diſtincta, ipſa eſt propoſitio, ſeu diuiſio: atqui hęc pars, vel ad narrationis finem, vel ad confirmationis principium reuocari poteſt: non erit igitur tanquam pars pręcipua, maiorve numeranda.

Streb. in lib. 1. de orat. An. Ric. Maior.

Septima poſitio, quinque eſſe orationis partes, partitionem ab alijs ſegregando, probabiliter defendi poteſt. Quę autem rationes hanc opinionem probabilem reddant, eas inferius afferam, cum de hac parte priuata proponetur diſputatio.

M. Nic. *Octaua poſitio, hę maiores orationis partes*

in

in alias minores particulas ſecantur, vt ſuo dicetur loco, cum de ſingulis ſeorſim agetur.

Nona poſitio, ex his partibus plures, vel pauciores, pro cauſſę natura, ſunt neceſſario adhibendę; & vniuerſe loquendo, plures in cauſſa iudiciali, quam in alijs deſiderantur: vt cum de ſingulis cauſſarum generibus integro libro diſputabo, planius demonſtrabitur.

Decima poſitio: has partes potius orationis, quā inuentionis partes appellares. Nam inuentio eſt quędam ſimplex facultas, quæ nullis conſtat partibus: nec propterea, quod iſtæ partes inueniendæ ſunt, propriæ inuentionis partes nominares, ſicuti nec diſpoſitionis; quamuis in illis recte conſtituendis verſetur diſpoſitio, ſunt tamen qui vna cum Herenniano auctore inuentionis partes appellent.

Vltima poſitio, ex his orationis partibus aliquæ ſunt minus neceſſarię, vt partitio, narratio, & exordium, aliquę magis neceſſarię, vt propoſitio cum eſt ab alijs ſeiuncta, & confirmatio. Siquidem ſine propoſitione, & confirmatione nulla poteſt confici oratio: at vero ſine vna, vel alia ex alijs maxime.

Ex quibus colligere licet, quanto in errore verſentur qui imperfectas eas omnes orationes eſſe putant, quæ ex omnibus maioribus partibus non fuerint conflatæ: cum interdum ex

duabus,

duabus, vel tribus perfecta coſtare poſſit oratio: quamuis quædam ſint orationes, quæ ad ſui perfectionem, vel tres, vel quattuor, vel quinque maiores requirunt partes. Atque his poſitionibus huic ſit ſatis diſputationi factum: Quę autem initio allata ſunt argumenta hunc in modum dilueres.

Primum facile diſſolueres ex doctrina allata in ſecundo & tertio fundamento: ſatis ergo eſt, vt quę interdum non adhibentur partes, aliquando adhibeantur: ad Ariſtotelis auctoritatem quid dicendum ſit, ex ipſis patet poſitionibus.

Secundum, nihil concludit; quoniam, & ſi non omnes in his partibus numerandis conueniant: tamen plures conueniunt, & alij conuenire debent.

Tertium argumentum quam ſit infirmum, ex ipſis patet fundamentis: neque enim eſt neceſſe vt oratoria dictio ſemper iiſdem conſtet partibus, vt ſupra plane explicuimus.

Vnde etiam patet quid ad quartum dicendum ſit. Quantum vero errent, qui ſemper certas partes adhibendas eſſe arbitrantur, ſatis ex dictis perſpicuum eſſe arbitror.

An exordium ſit Orationis pars, deque eius natura, partibuſq;. Diſput. III.

Sequitur ergo, vt poſtquam de partibus orationis generatim diſputatum fuit, nunc ſpeciatim de ſingulis ſuo ordine differamus: ac primum quidem de exordio, quippe quod primum obtinet inter alias partes locum. Et quamuis decretum ſupra fuerit, in aliјs partibus numerandum eſſe: tamen diſputationis cauſſa, vt hæc controuerſia planius explicetur, id falſum eſſe, quibuſdam rationibus demonſtrare contendam.

Primum a noninis etymologia, ſeu a ſimili, hæc pars a Græcis Latiniſque ſcriptoribus vocatur proœmium; quæ vox nihil aliud ſignificat, quam ingreſſum, & aditum: ſi igitur exordium eſt veluti aditus ad orationem, profecto non erit orationis pars; ſicuti aditus non eſt pars domus.

Deinde, argumento ducto a loco ſimilium; ita ſe habet exordium in oratione, vt præludium in cantu, & ſymphonia; vt Ariſtoteles in Rhetoricis ad Theodecten docuit: atqui præludium, vt ipſum etiam vocabulum ſignificat, non eſt cantus, ſiue ſymphoniæ pars; igitur neq; exordiũ oratoriæ dictionis pars erit. Lib. 3.

Poſtea

Poſtea multæ ſunt orationes, quæ carent, & omnino carere debent exordio; vt quæ ex abruto incipiuntur, quæ a narratione ſumunt initium, quæ ſola propoſitione, & confirmatione ſunt contentę; vt omittam, quod ſcriptores pręcipiunt, non eſſe ſemper opus exordio.

Poſtremo, exordia comparata ſunt ad beneuolentiam, & attentionem, docilitatemque captandam, vt omnes quot quot ſunt dicendi Magiſtri fatentur: quare, ſi his officijs in exordio vtimur ad comparandum auditorem ad ipſam orationem, neceſſario conficitur exordium non eſſe orationis partem: pręterquam quod, cur his vtamur officijs ſępenumero nulla ſit neceſſitas. Atq; his argumentis, quod eſt apud omnes certiſſimum in dubium reuocaſſe ſufficiat.

De hac parte legendus eſt Ariſtoteles libro tertio ſuæ rhetorices; capite decimo quarto, Auctor Herennianus libro primo, Tullius priore de inuentione libro, & ſecundo oratorio, Quinctilianus libro quarto, capite primo, Conſultus Chirius libro ſecundo, Trapezuntius libro primo, Valentinus Erythręus in ſuis commentarijs in orationem pro Archia, qui priuatim de exordij partibus agit, Laurentius Palmyręnus, & Antonius Lullus libro tertio de oratione.

oratione. Vt autem hanc propoſitam diſputationem plane explicemus, quædam fundamenta nobis ponenda ſunt.

Primum fundamentum, in quo breuiter de huius partis nominibus agetur: Vocatur ergo rhetoricę orationis initium communi appellatione, proęmium: quod nomen Latini a Græcis acceperunt, ſuumque, vt & alia multa, fecerunt. Græci enim orationis principium, antiquo, ſeu potius antiquato verbo, προοίμιον, proęmium, vocant. Nam, quod olim veteres Gręci οἶμον, id eſt, viam dicebant, nunc ὁδὸν dicunt. Eſt ergo vox iſta compoſita, ex pro, quod ante, & οἶμος, quod viam ſignificat. Quo fit, vt procœmium idem valeat, quod acceſſio, aggreſſio, antecedens curſus, & veſtibulum. Aſcen. *Nec deſunt, qui velint hanc vocem conflatam eſſe, ex pro, & οἴμης, id eſt, cantu, quaſi antecedens cantus: cęterum, priorem etymologiam agnoſcere videtur Ariſtoteles. Vocatur deinde orationis initium tranſlate, ueſtibulum, aditus, & exordium, metaphora ſumpta a textoribus, quod dictionis telam inde ordiri incipiat Orator: ob quā etiam cauſſam principium, dicitur. Pro exordio, aliquando Virg. exorſum, dixit:*

Non hic te carmine ficto,
Atque per ambages, & longa ſeorſa tenebo. Lib. 1. Georg.

C *Cicero*

Cicero etiam dixit, exorſus, cum hunc in modum ſcripſit, ſed pro veſtri imperij dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ. Inter exordium & principium id diſcriminis nonnulli aſſignant; vt exordij ſignificatio latius pateat, quam principij: ita vt quoduis initium vocari poſſit exordium, principium vero, illud ſolum, in quo directe omnia prȩſtantur, quæ initio orationis præſtari ſolent officia. Quod Rhetores procæmium appellarunt, Comici, & Tragici poetæ, prologum, Tibicines vero προαύλιον, id eſt, prȩludium, proluſionemve nominarunt.

Pro Pomp.

Secundum fundamentum, in quo nonnullæ exordiorũ diuiſiones afferendæ ſunt. Exordiorũ ex omnium Rhetorum ſententia duo ſunt genera: quorum alterum, principium, Grȩce ἀρχὴ rectum nimirum & apertum exordium; in quo, vt Fabius ſcribit, apertis rationibus auditoris animus ad audiendum attentus redditur: Alterum, quod inſinuatio vocatur, grȩce, ἔφοδος ἀπὸ τοῦ ὁδοῦ, ſimilitudine ſumpta a clandeſtino ingreſſu, quo ciuitates capi ſolent. Vnde non placent ij, qui dicunt appellari ἐπωδὸς, quaſi incantatio. eſt itaque inſinuatio exordium, obliquum quo occulte, & per diſſimulationem in auditoris animum irrepimus.

Li.4.c.1

Quando principio, quando vero exordio

vtendum ſit poſtea dicetur. Rurſus exordiorum duo ſunt genera, vnum quod vocatur panegyricum, cuiuſmodi ſunt principia ornatiora orationum quæ habentur in celebri conuentu; quale eſt illud Iſocratis in ſuo panegyrico: quod eſt ita plenum ac diues, vt in eo explicando duæ & quadraginta dubitationes, quod quidam auctor adnotauit, tractari poſſint: alterum politicum ideſt ciuile; vt ſunt exordia remiſſiora, & minus ornata, quæ in ſenatu ſolent adhiberi. Diſtinguuntur ergo hæc duo exordiorum genera potiſſimum membris: illud habet membra longiora, & magis extenſa, hoc vero breuiora. In primo genere reponeres, Milonianæ orationis initium, in hoc autem Quintianæ principium: quod ibi ſint membra producta & compoſita, hic vero breuia & ſimplicia: ibi amplæ hic vero minutæ periodi.

Item, diuidi poſſunt exordia, pro quæſtionum, & cauſſarum diuerſitate: vt alia ſint quęſtionis infinitæ, aliæ finitę, ſeu cauſſæ: cum aliter exordiri debeat qui rem aliquam demonſtrandam ſuſcipit, aliter qui animos permoueuere vult. Diuideres etiam pro cauſſarum generibus: & ita alia erunt generis laudationis, alia deliberationis, alia iudiciorum exordia, de quibus varia traduntur pręcepta.

Denique, exordium diuiditur in exordium

C 2 *inte-*

integrum, vt eſt illud in quo paulatim, quaſi per gradus, in cauſſam ingredimur; & in exordium abruptum, a Græcis προβολὴ dictum, quod ex abrupto viam reliquæ orationi facit: vt eſt illud apud Tullium, Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? & apud di-
Pſal. 2. & 51. *uinum Vatem, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Atque has exordiorum, ad noſtrum inſtitutum magis accommodatas diuiſiones, attuliſſe ſufficiat.*

Tertium fundamentum, quoniam vero id maxime, vniuerſe loquendo, ſpectandum eſt in exordijs, vt generi cauſſæ ſint omnino accommodata, ne de oratoris oratione dici poſſit Ho-
In poet. *ratianum illud,*

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, &c.

Cornif. lib. 1. Cic. li. 1. de Inu. *Propterea dicendi Magiſtri alia quædam adnotarum cauſſarum genera, a rerum de quibus agitur qualitate ſumpta, pro quorum diuerſitate, diuerſa eſſe debet exordiendi ratio. Genera ſunt iſta, honeſtum, turpe, admirabile, anceps, ſeu dubium, humile, & obſcurum. Honeſtum quod Græci, endoxon appellant, illud cauſſæ genus vocatur, in quo id defenditur, quod eſt recte rationi conſentaneum, ſeu quod*

omnibus

omnibus defendendum videtur; & id refellitur, quod cum ratione pugnat, & ab omnibus refellendum iudicatur: vt ſi quis pro religione, vel contra religionem diceret. Et quamuis honeſtas in omnibus adiunctis ſpectari poſſit; tamen a tribus præcipue, a perſona, a re, & a loco, ſpectari ſolet. A perſona, cum ea quæ dicit, aut ea pro qua dicitur, honeſtatem habet. Vt ſi quis diceret pro ſalute ſociorum, & pro ſpectatiſſimi viri dignitate. A re, vt ſi virtutem contra improbos, & libertatem contra tyrannum defenderes. A loco, ſi ipſe locus ſit honeſtus, & ampliſſimus: in quo non niſi honeſte dici poteſt. Pro lege Man.

Turpe genus, quod Græci æſchron, vocant, illud eſt, in quo honeſta res, aut quæ honeſta apparet impugnatur, defenditur vero turpis: illud inquam, quod cum honeſto pugnat. Turpitudo ſicut & honeſtas, ex tribus ſpectatur adiunctis. Ex re, vt ſi furtum, & coniurationem defendas; aut, vt quidam noſtra ætate fecit, vſuram laudes; cuius opuſculum lectione indignum, igne digniſſimum cenſendum eſt. Ex perſona, quæ in reo, & auditore ſpectatur; vt ſi parricidam, aut coniuratorem defenderes: vel contra literas, apud literatos, & contra militiam, apud Imperatorem diceres. Admirabile, græce, paradoxon, quod eſt præter auditorum opinionem, id a quo audientium fides, & animus Cice. in Parad.

eſt prorſus alienus. Vt ſi apud auaros defendas, ſolos ſapientes eſſe diuites: apud imperitam multitudinem ſolem eſſe multis partibus terræ globo maiorem. Dubium, græce amphidoxon, quod in ſe habet aliquam honeſtatis & turpitudinis ſpeciem: vt ſi quis contra patrem pro patria diceret: qua in cauſſa turpitudinis, & honeſtatis nonnihil apparet. Humile, Grȩci, adoxon, & tapinon vocant, illud eſt, in quo de re contempta, & abiecta dicitur. Humilitas, partem in re, partim in perſona cernitur: In re, vt ſi quis laudandam ſuſciperet formicæ prouidentiam, apum induſtriam, & cum Luciano muſcam, atque id genus alia, quæ ab auditoribus auditu indigna putarentur. A perſona, vt ſi quis apud militem lanificium, & apud ſapientiæ cupidum venationem laudaret. Obſcurum denique, illud diceretur, in quo de re perplexa, & a communi intelligentia remota ageretur: vt ſi quis de vi atq; natura diuina, de ventorum cauſſis, deque alijs ſimilibus ad phyſiologiam ſpectantibus controuerſiis ſermonem haberet.

Quartum fundamentum, in quo explicandum eſt, quibuſnam partibus conſtent exordia, Hieron. Paduan. *prȩſertim, maiora. Diſpoſitio oratoria in duas eſt diſtributa partes: quarum altera docet, qua ratione quattuor, vel quinque maiores orationis*

nis

nis partes diſtribuendæ ſint, exordium, narratio, & aliæ: altera vero, quæ ſingularum partium œconomiam, compoſitionemque manifeſtat: propterea, dum de exordij natura diſſerimus, eius particulæ nobis explicandę ſunt. Hermogenes ergo, quem multi poſteriores dicendi Magiſtri ſecuti ſunt, maiora exordia in quattuor diſtribuit partes, ex quibus tanquam ex membris conficiuntur. Prima, grę ce dicitur, protaſis, latine propoſitio, quę mentem opinionem, affectionemq; auditorum, & dicentis ſępe continet. Secunda, cataſcheue, ideſt confirmatio, & propoſitionis ratio, græce ætia: quæ interdum coniunctam habet refutationem, & aliquando plures rationes, & membra longiora continuataque continet. Tertia, apodoſis, latine redditio, ſiue aſſumptio, vel vt Dialectici loquuntur, minor propoſitio, ſeu antecedentis, vel conſequentis exornatio, vel amplificatio: quam alij reuerſionem, conuerſionem oppoſitionemque appellant. Quarta, baſis ideſt progreſſio, ſiue exordij concluſio, qua ad narrationem tranſitur, & exordij ſumma colligitur, & quaſi caput cum reliquo corpore connectitur: quam aliqui, axioſim vocant. Propoſitiones debent continere rei honeſtæ poſtulationem: vt ecce, quod auditores attente audiant, reo faueant, miſerę patriæ ſuccurrant, &c. Debent ſu

Li. 1. de Inu.

Natal. Com. li. 1. de ter mi. rhet. cap. 13.

Libro 2. Oratorio. *mi, vt apud Ciceronem Craſſus, & Antonius loquuntur, ex viſceribus cauſſæ, debent eſſe acutæ, & callidæ, quę, vel iudicem commoueant, vel aduerſarium vrgeant, & iugulent: quod ſententiarum genus in toto exordio ſpargendum eſt. Duæ priores partes, ipſum conficiunt* Orat. 2. in Cati. *exordij enthymema: cuius conſequens eſt propoſitio, antecedens vero, ratio, mutato naturali ordine, quem Dialectici ſeruare ſolent. Sed hanc doctrinam vno vel altero illuſtremus exemplo. In Sextiana, propoſitio ab admiratione ſumpta, hęc eſt, Nemo miretur paucos eſſe ciues, qui forti, & magno animo auderent ſe, & ſalutem ſuam pro rep. in diſcrimen offerre. Ratio, ex antitheſi conſtans, Quia non ſeruatur ordo iuſtitiæ diſtributiuę, bonis male eſt, & malis bene. Redditio continet amplificationem antecedentis, Improbi conantur optimis ciuibus, non per homines ſcelere perditos, ſed per optimos ſummoſque viros periculum inferre. Concluſio, Peto igitur mihi veniam dari, ſi in defenſione innocentis acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt. Cui ſtatim annectitur orationis propoſitio; Sed quoniam de ſingulis criminibus Sextio obiectis, ab alijs eſt dictum; ego dicam, &c. Et in oratione antequam iret in exilium, Propoſitio, ſi quando, &c. Conſtitutio, ſiue ratio, Nam qui virtutis gloriam,*

riam, &c. Apodoſis, ſiue redditio, Itaque ſi omnibus graue, &c. Baſis, ſiue concluſio, & axioſis, Iure igitur. Et in oratione pro Archia, Si quid eſt in me ingenij, iudices, &c. hæc eſt propoſitio, quæ exornatione facta eſt longior. Nam quod longiſſime, &c. Ratio, ſiue confirmatio, Quod ſi hæc vox, &c. Redditio, ſiue reuerſio, quæ breuiter vim vtriuſque partis continet. A quo id accepimus, Concluſio, ſeu firmamentum, & baſis rei, quæ propoſitionem & rationem in vnum colligit.

Vel breuiter cum alijs hanc exordij œconomiam faceres. Cōſtat exordium protaſi, axioſi, & baſi, qua duæ priores coniunguntur, & componuntur: eſt itaque baſis quaſi quæſtionis reſolutio, quæ quodammodo in propoſitione et redditione diſputata eſt. Illis additur vna, vel plures rationes: verum in Roſciano exordio baſim pluribus rationibus confirmatam videbis. Baſim ſequitur totius exordij concluſio; vt in Miloniana, Non poſſum iudices, non timere, &c. hæc eſt protaſis, cui additur, ratio, Non enim corona cinctus eſt conſeſſus veſter, vt ſolebat. Sed me recreat, &c. Axioſis. Quamobrem neque arma illa nobis periculum denunciant, &c. Baſis. Quamobrem adeſte animis, &c. Concluſio.

At vero Trapezuntius aliquanto aliter has partes

partes numerat, & exponit. Prima exordij pars eſt expoſitio, quæ ſumpta ex ijs locis, qui ad exordiorũ inuentionem pertinere dicuntur, aut attentum, aut beneuolum, aut docilem facit auditorem. Secunda, ratio quæ accommodatur expoſitioni, per quam, quod expoſitum eſt, facile confirmatur. Tertia redditio, quæ eſt breuis complexio eius, quod expoſitione & ratione conficitur, & totius rei aperta propoſitio. Quarta, comprobatio, hoc eſt, redditionis cauſſa, quæ quidem rem totam manifeſtius tangit. Expoſitio in locis exordij inuenitur: ratio, in circunſtantijs: redditio tangit ipſam rem, quam volumus: Comprobatio cauſſam redditionis affert: quæ in genere iudiciali, vt plurimum, prætermittitur, aut redditioni coniungitur: at vero in demonſtratiuo poſt redditionem commode ponitur, & ſplendorem orationi affert. Expoſitio interdum talis eſt, vt duplex videatur, vt patet in oratione pro M. Marcello. Diuturni ſilentij, &c. expoſitio, Tanta enim &c. Dolebam enim &c. Rationes reddit expoſitionis, ſeu propoſitionis; quæ ſenſu eſt multiplex, ſed compoſitione orationis, ſimplex. Ergo, & mihi, & meæ, &c. redditio, qua apertiſſima de laudibus Cæſaris fit expoſitio. Intellectum eſt enim &c. comprobatio. Hæc fere ex Trapezuntio.

In fine lib. 3.

Neque

Neque tamen neceſſe eſt, vt omnia exordia ſemper his omnibus conſtent partibus: quia interdum, vt Hermogenes ſcribit, quædam, propoſitione, & ratione propoſita, redditionem, & baſim reſpuunt, vt Manilianæ procœmium. Interdum tribus, addita redditione, quæ non inferiorem locum in exordijs habet, et ex propoſitione, & ratione videtur exoriri. Interdum in exordijs continetur antapodoſis, id eſt contraria ſiue oppoſita redditio, comparationis nimirum ſumptio, cum ad perſonam quæ comparatur reſumendam reuertimur: vt in archiana fecit Cicero, cum dixit, Me autem quid pudeat, &c. prius enim ſui comparationem propoſuerat. Ego vero fateor, &c. Et in oratione pro M. Marcello, cum dixiſſet, Cæſari geſta nullius oratione enarrari poſſe, adiecit comparationis antapodoſin, Tamen hoc affirmo, & hoc pace tua dicam, &c. Denique, ſi rationis adhibeatur comprobatio, proſapodoſis, id eſt quaſi altera inſuper redditio, nominatur: vt Cicero pro A. Licinio, An tu exiſtimas, &c. comprobat ſuperiores rationes, cur eo homine delectetur. In epiſtolis autem plurima exordia conſtant enthymematis, in quibus aliqua ponitur propoſitio, cui ſubijcitur ratio, ſeu ętiologia, ita vt antecedens poſteriore collocetur loco. Vt ecce, Ego omni officio, &c. Ratio,

De Inu.

Cic. li. 1. Epiſt. 1.

tio, tăta enim &c. Interdum enthymemati adiungitur, aut alia probatio, aut amplificatio, aut aduerſatiua, & tandem ſequitur concluſio, qua exordium cum reliquo epiſtolæ corpore connectitur. Vt ecce, Ego ſi mea in te eſſet, &c. propoſitio. Graue eſt enim &c. ratio. Sed quia tua in me, &c. Aduerſatiua. Non dubitaui, concluſio. Simile exemplum eſt in epiſtola vndecima libro decimotertio. Ex quibus intelligi licet, cur aliqui ſex faciant exordij partes, propoſitionem, ſeu enuntiationem, a qua initium ſumitur orationis: propoſitionis approbationem ex aliqua circunſtantia ſumptam: redditionem, quæ propoſitioni, vel approbationi iungitur, vel per quandam quaſi oppoſitionem, vel per augmentum: rationem, quæ redditioni ad eam corroborandă adiungi ſolet, ex circunſtantijs erutam: baſim, quæ contentionem illam, & quaſi quæſtionem propoſitiopoſitione et redditione diſputatam ſoluit, quidq; ſit tenendum oſtendit: & concluſionem, qua auditorem ad audiendum excitamus. Atque de hoc fundamento hactenus.

Lib. 2. Epiſt. 5.

M. Nico Rom. li. 2. c. 3.

Quinctum fundamentum, in quo ex Hermogenis præſertim doctrina nonnulli indicabuntur loci, ex quibus idonea ſumuntur exordia. Si ergo de exordiendi ratione vniuerſe loquamur, exordiorum loci communes hi fere

ſunt;

ſunt; A re ipſa de qua agitur, & quæ in diſputationem venit: a perſonis, quæ ad iudicium, ſeu concionem aliquo modo pertinent; vt ſunt, qui agit, is contra quem agitur, qui iudicant, aut conſilium ferunt, & qui concioni adſtant: ab adiunctis temporis & loci: ab aliquo euentu ad rem pertinente: & deniq; extra rem, quæ ex temporanea dicuntur, & ex varijs omnino locis, etiam a muſca volante, ſumuntur; qui ſeſe ſua quaſi ſponte offerre poſſunt: quo modo ſuorum dialogorum Plato initia capere ſolet: qua etiam ratione in epiſtolis ſcribendis exordiri ſolemus. Verum ea priuatim ſpecioſa cenſentur exordia, quæ ab ijs, qui numerabuntur locis, petuntur. Primum, quæ ſumuntur ἐκ τῶν ὑπολήψεων. *i. ab opinionibus, ſiue ſuſpicionibus, de rebus, aut de perſonis conceptis: veluti, de ſuſpicione populi, iudicum, auditorum, aduerſariorum; quæ Hermogenes* πραγματικώτατα. *i. frequentiſſima, &* κάλλιςα *i. pulcherrima vocat; eam ob cauſſam, quod varium, contineant ornatum. Deinde, quæ ſumuntur* ἐκ τῆς διαιρέσεως. *i. a diſtributione, ſeu partitione, & ſubdiuiſione. Diuidimus autem, vel rem ipſam; vt ſi quis dicat, ſe potuiſſe aduerſarium alterius criminis accuſare: vel aduerſarij vitam, & mores, vel tempus ipſum, ſiue euentum. Poſtea* Orat. p Quin. p Cluen.

quæ ſumuntur ab actione ſuperflua, vel, vt Hermogenes loquitur, ἐκ περιουσίας. *i. ex abundantia, & exſuperatione: vt cum quis exorditur a minore crimine, & ait de maiore ſe aduerſarium accuſare potuiſſe: aut, cum id, quod faciendum eſſe dicimus, iam aliquo modo factum eſſe demonſtramus. Denique, interdum exordimur a remotione eius, quod nobis aut auditoribus abeſſe poſſet: id reijciendo, quod nobis quiſpiam obijceret, vel animos auditorum a metu liberando. Alij quinque recenſent exordiorum genera, quæ illuſtriora cenſentur. Moratum, in quo morum præbetur ſignificatio, Gratiſſimæ nihil fuerunt literæ tuæ, &c. Per diuiſionem, modo iam explicato: Per amplificationem, vt, Nouum crimen, antea inauditum: Ex abundantia, vt non dicam de furtis huius, quæ poteram, ſed de proditione, &c. Et extra rem, vt ſunt extemporanea. Antequam autem ad poſitiones accedo, circa ea, quæ dicta ſunt, quædam adnotanda occurrunt.*

M. Nicol. li. 2. cap. 3.

Primum, exordium ab exuberantia ſumptum magnum vibrat telum, magnumque terrorem incutit aduerſario. Vt ſi dicas, Poſſem in præſentia tibi ſacrilegij crimen intentare; ſed nolo ego tam durus eſſe accuſator, vt tu inhumanus miles extitiſti, &c. Et Cicero pro

An. Lul. li. 3. c. 6.

L. Flac-

L. Flacco, Cum in maximis periculis huius vrbis ſocio conſiliorum L. Flacco cædem ab vrbe depellebam, ſperabam honoris eius potius me adiutorem futurum, quam miſeriarum deprecatorem.

Deinde, ex temporanea exordia plurimum auctoritatis, & momenti addunt redditioni, maxime in iudicijs, & exornationibus: propterea quod in his factum id eſſe quodammodo dicimus, quod eſt in propoſitione: vt ſi petens attentionem, dicas, ex auditorum frequentia vultuſque alacritate, te audiendi voluntatem agnoſcere. Hoc animaduerteres in Pompeiana, Nunc autem auctoritas, &c. Et in Planciana, Cum autem propter fidem ſingularem Cn. Plancij multos viros bonos honori futuros viderem capiebam animo voluptatem, &cæt.

Deinde illud adnotauerim, in his exordijs apodoſin totius principij fundamentum continere: idque frequenter per antipariſtaſin: non raro, per relationem, ſeu per augmentum quantitatis, & ſæpe etiam per conuerſionem. Redditio per antipariſtatim apud Tullium eſt hac. Eſt hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoque maiorum, vt ij qui beneficio, &c. Pro lege Agrar. *Mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur: Et in Miloniana, ſed*

me recreat, &c. Per relationem, ſiue augmentum. Pro domo ſua ad Pontifices, Cũ multa diuinitus a maioribus, &c. Quod ſi aliquo tempore, &c. Per conuerſionem, ſeu apoſtrophen. Et quoniam in hoc officio ſtudium, &c.

Pro Ligar. *Deinde propoſitio per amplificationem, tribus maxime fit modis: quantitate, vt, Nouum crimen, &c. Ego omni officio, &c. ceteris ſatisfacio omnibus, mihi nunquam, &c. Proſopoeia, vt in oratione pro domo ſua, & Demoſthenes pro Chteſiphonte, Primum quidem, viri Athenienſes, Deos & deas omnes oro: quem imitatur Tullius in oratione pro Maurena. Poſtremo, euentu, cum in axioſi reddimus rei exitum, quæ proponitur, vt pro Cluentio, & pro M. Cæcilio.* Lib. 1. Epiſt. 1.

Deinde, initium per diuiſionem duobus fit modis, oppoſitione, & collatione. Collatio fit ex rebus eiuſdem rationis, vel propoſitionis: vt criminibus meritis, locis, temporibus, perſonis, cauſis. Vt in oratione pro Cæcinna, Si quantum in agro lociſque deſertis, & quæ ſequuntur. Oppoſitio fit rebus contrarijs per coniunctiones aduerſatiuas, vti altera per conditionales, quamquam, & ſi. Quod initij genus tam multis arridet, vt ſemper ab occupatione incipiant contrariorum: quaſi aliter agere, quam ab oppoſito, fas non ſit. Pro lege Agrar. pro Rab. Phil. 13.

Denique

Denique illud adnotauerim, in vno & eodem exordio, ſæpe plures ex ijs, quas enumerauimus formis, ſeu locis reperiri poſſe: verum ea forma, quæ amplificationem, vel mores continet, facilis eſt: quæ diuiſionem, diligentiam requirit: quæ exuberantiam, ab ipſa re pendet, vt quæ eam præbere debeat. His ita poſitis fundamentis, quibuſdam poſitionibus totam hanc doctrinam paucis complectemur.

Prima poſitio, hęc orationis pars congruenter proprijs nominibus appellatur, Principium, & initium, tranſlatis vero, proœmium, & exordium. Patet hæc poſitio ex ijs, quæ primo explicata ſunt fundamento.

Secunda poſitio, exordium eſt vna ex maioribus, ac præcipuis orationis partibus. Accipio hoc loco orationem, non vt ſolam continet cauſſam, quæ propoſitione, & confirmatione, ex ſe, contenta eſſe videtur, ſed vt oratio refertur ad auditorem, cuius ſi ſpectemus animum, non ſatis eſſe videtur ſola & nuda rei propoſitio, & confirmatio: cum auditor poſſit eſſe a nobis, vel a cauſſa de qua dicimus alienus, ac proinde ad reliquam dictionem aliquo pacto apparandus ſit, id quod exordio, quaſi quodam medicamento, fit. Doctrina eſt communis omnium Rhetorum, & ſatis ex ijs pa-

tet, quæ de partibus ſupra vniuerſe ſcripſimus. Ex quibus colligitur, exordium in omni oratione, vel neceſſario, vel ſaltem vtiliter adhiberi.

Tertia poſitio, exordium hunc in finem inuentum eſt, & in oratione ponitur, vt animum auditoris ad reliquam orationem comparet. Doctrina eſt communis, & priuatim Ariſtotelis: qua demonſtrare volumus quo exordia omnia ſpectare debeant, quod in eius definitione explicari ſolet.

Lib. j. de Inu. *Quarta poſitio, hæc orationis pars, his modis congrue definiri poteſt, Primo ex Ariſtotele hoc pacto, Exordium eſt orationis initium & præparatio, ſeu cauſſæ munitio, ad ea, quæ ſequuntur. Deinde ex M. Tullio hoc modo, Exordium eſt oratio animum auditoris idonee* Vict. in hunc locum. *comparans ad reliquam dictionem. Quæ deſcriptio, quam tanquam optimam approbat Victorinus, ſumpta eſſe videtur ab huius partis officio & fine. Siquidem illud eſſe cenſetur exordij munus, vt audientium animos aptos faciat, in hunc finem, vt reliquam orationem, in qua de re ipſa agitur, idonee audiant. Po-* Lib. 1. *ſtremo, ex Herenniano auctore, hac ratione, Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris, aut iudicis conſtituitur, vel apparatur ad audiendum. Hæ deſcriptiones,*

&

& aliæ, quæ afferri ſolent, eandem videntur habere ſententiam. Verũ tamen eſt, quod congruẽtius dicitur initium, vel pars orationis; quam, oratio, cum ſit orationis membrum, & caput.

Quod autem hæc ſit exordij vis, atque natura, vt auditoris animum præparet ad reliquam dictionem, his rationibus ex Ariſtotele depromptis, confirmari poteſt.

Primum, per inductionem in omnibus cauſſarum generibus, in quibus hac vna de cauſſa hæc adhibetur pars; vt auditorum animi per attentionem, beneuolentiam, ac docilitatem idonei ſint, ad id quo de agitur percipiendum: huc enim omnia huius partis officia, de quibus poſtea ſcribemus referuntur. Deinde, argumento ducto a ſimili; quia exordium eſt veluti præludium in ſymphonia, & veluti prologus in poeſi, ſiue comœdia: atqui per hæc paratur auditoris animus: igitur & per hanc orationis partem. Poſtremo, quoniam, ni id fieret, auditoris animus eſſet ſuſpenſus & anceps, & aliquid aliud ſecum tractaret; & ita non ſubſequeretur auribus dicentis vocem. Hæc itaque pars, veluti quædam manus adhibetur, vt eam auditor apprehendat, & dicentem ſubſequatur. Ex quibus, non ſolum quæ ſit huius partis vis, ſed etiam neceſſitas apertiſſime conſtat.

Quincta poſitio, Exordium commode diuiditur in principium, et inſinuationem, et iuxta, genera cauſſarum, vt iam expoſuimus. Quoniam ex his diuiſionibus patefit varia exordiendi ratio, & cuique cauſſæ idoneum adhibetur initium ſiue caput, atque in cauſſam ingreſſus: vt planum fiet ex iis quæ inferius de exordiis ſpeciatim dicemus. Rurſus exordiorum alia dicuntur perfecta, ſiue bona, alia vero imperfecta, ſeu vitioſa: de quibus inferius agetur. Et denique, ne plures ſine vtilitate afferam exordiorum diuiſiones, alia ſunt minora, & minus illuſtria; alia vero maiora; & illuſtriora, vt ſupra diximus.

Sexta poſitio, exordij partes interdum ſunt duæ, propoſitio, & ratio: interdum tres, propoſitio, redditio, & concluſio: interdum vero quattuor, eo modo, quo ſupra in quarto explicui fundamento. Verum poſſes etiam ſolum tres aſſignare, ſi propoſitionem & rationem vnam partem conficere affirmares.

Hanc de partibus exordij doctrinam, quidã parui faciendam exiſtimant, ac proinde nihil de hac re præcipiunt: quorum ſane opinioni non libenter ſubſcriberem. Primum, quia re vera has partes in artificioſis bonorum auctorum orationibus obſeruare licet. Deinde, non propterea hæc doctrina eſt ſpernenda, quod in

Quinct. Palm.

omnibus

omnibus orationibus hæ omnes partes non inueniantur: quoniam nec tria officia, de quibus nemo eſt qui non ſcribat, in ſingulis reperiuntur exordijs: de quibus tamen præcepta tradenda fuere. Vt omittam quod neque omnis oratio habet omnes partes, de quibus omnes præcepta tradunt. Denique, hanc partium exordij obſeruationem multum emolumenti habere, ſi quis ea vtatur, prodens negaret nemo.

Octaua poſitio, exordiorum loci, ſiue materia, ex ijs potiſſimum ſpectantur, quæ fundamento quincto diximus: hoc eſt a re ipſa, & a viſceribus cauſſæ: a perſonis ad iudicium pertinentibus, & ab ijs, quæ ſunt extra iudicium: ab attributis, ſiue circunſtantijs: ab aliquo euentu: & denique ab aliquo communi axiomate, & memorabili ſententia. Hæc doctrina eſt Hermogenis, Fabij, aliorumque Rhetorum, & ſatis confirmatur ex optimorum Oratorum vſu, & obſeruatione.

Nona poſitio, pro cauſſæ & ſuſceptæ materiæ ratione, varia quoque debent eſſe exordia. Sunt enim veluti capita, quæ diuerſis corporibus accommodanda ſunt. Ne igitur monſtruoſa fiat oratio, id animaduertendum eſt, quod non vno in loco monet Tullius, vt videamus quo in cauſſæ genere verſemur: qui hac

de re, hæc elegantiſſima verba ſcripta reliquit, Sed oportet, vt ædibus ac templis veſtibula, & aditus, ſic cauſſis principia proportione rerum præponere.

Decima poſitio, genus dicendi in exordio debet eſſe mediocre, non elatum, non humile, ſed quaſi temperatum, alienum ab omni oſtentatione, & magis ſententiarum genere, quam verbis exornatum. Sed de exordiorum forma, ſeu genere dicendi plura dicam inferius, cum de eorum virtutibus & vitijs agam.

Lib.2. Oratorio.

Vndecima poſitio, figuræ, quæ in exordijs adhiberi ſolent, ſunt fere iſtæ: dubitatio, admiratio, vt in oratione pro Sextio: optatio; vt in oratione pro Flacco: votum, vt in orat. pro Murena: apoſtrophe, vt in prima Catilinaria: ironia, vt in Ligariana, & in oratione pro Cælio: quamuis magna ſit inter quoſdam ſcriptores altercatio, an ea quæ eſt proligario, ironiam contineat; ſed communior & verior opinio ea eſt, quę ironicum ait eſſe principium: & denique occupatio, ſiue prolepſis; vt, Et ſi vereor, iudices, ne turpe ſit, &c.

Trapez. Georg. Mer.

ProMil.

Duodecima poſitio, exordia partim ex re ipſa, partim ex auditorum perſona, partim vero ne oratio ipſa manca videatur, neceſſaria ſunt: quæ etiam interdum omitti poſſunt, vt cum oratio eſt breuis, vel res de qua agitur no

Cic. li. 2. orat.

ta, &

ta, & digna, quæ audiatur. Atque hæc de nomine, natura, diuiſione, partibus, fine, materia, forma, atque neceſſitate exordij vniuerſe dixiſſe ſufficiat. Ex quibus, quæ allata ſunt argumenta, facile dilueres.

Ad primum, argumentum ab etymologia ſumptum, non neceſſario concludit, niſi recurrat, vt libro ſecundo de Inuentione capite ſeptimo diximus: & licet exordium ſit veluti aditus, & ingreſſus, ſi cum narratione, vel confirmatione comparetur; tamen collatum cum tota oratione, eſt veluti caput, & membrum ipſius: non igitur eadem eſt ratio, vt argumentum ſumit.

Ad ſecundum, qua ratione hoc argumentum dilui poſſit, patet ex dictis: ſimilia enim, non ſunt omni ex parte idem: neq; enim exordium: eſt merum præludium: cum, & auditorem doceat, & aliqua ex parte moueat, et non ſolum ad animum auditoris excitandum, ſed etiam ad perſuadendum referatur.

Ad tertium, non propterea quod aliquando non eſt opus exordio, ſequitur exordium non eſſe in partibus ponendum, vt ſecunda diſputatione plane docuimus.

Poſtremum qua ratione diluendum ſit, ſatis ex dictis planum eſt: ſiquidem in exordio aliqua præſtamus, quæ ad ipſam cauſſam pertinent:

tinent: eſtque, vt non ſemel diximus, orationis caput.

De exordij officijs, an tria ſint exordij officia. Diſputatio IIII.

ET ſi apud omnes dicendi Magiſtros certum exploratumque ſit, tria eſſe exordiorum munera, ſeu officia, facere beneuolum, attentum, & docilem: tamen hanc certam & conſtantem eorum ſententiam his argumentis labefactare poſſes.

Primum, ex Ariſtotelis, & M. Tullij, atq; aliorum Rhetorum doctrina, iſta tria officia, non ſolum in exordio, ſed etiam in alijs partibus, & in tota oratione, cum res ipſa id poſtulat, præſertim in cauſis longioribus, adhibenda ſunt, & boni Oratores ea adhibent; male igitur dicuntur eſſe exordij officia; cum officium id dicatur, quod eſt alicui rei proprium. Et quod ad docilitatem attinet, magis docet narratio, quã exordiũ, cum narratio ſit tota ad docendum comparata: quod etiam de partitione diceres, cum rem omnem facile, atque diſtincte ab oculos proponat.

Lib. 2. de orat. *Deinde, in exordio, quod multis in locis docet Tullius, & nemo eſt, qui eius in hac parte*

præceptionem non approbet, adhibendus eſt aliquis motus, qui, vt aliquando ſcripſit, eſt exordio & perorationi proprius: idque vel ex eo confirmari poteſt, quod exordium eſt veluti præludium, quod a tibicinibus ad animos commouendos adhibetur: addendum igitur erit, quartum exordiorum munus, quo Orator auditorum animos, ſaltem leniter tractet, eiſque aliquem motum afferat.

Poſtea, ſi hęc tria eſſent exordij munera, in omni exordio præſtanda eſſent: atqui hoc tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, in quo nonnulli inepti pueriliter errant; cum exiſtiment, ſe non idonee exordiri, ni ſemper hoc triplici exordiendo fungantur munere: igitur.

Ad hæc, auctore Fabio, vnicum eſt exordij munus, præparare auditoris animum, vt in alijs partibus ſit nobis accommodatus; non igitur tria, ſi verum eſt id, quod citatus auctor docet. Li.4.c.1

Poſtremo, vt alias rationes ſolertibus iuuenum ingenijs excogitandas relinquam, qui facit docilem, facit etiam attentum: ſimiliter, qui beneuolentiam captat, etiam attentionem aucupatur: nihil eſt igitur, cur tria diſtinguantur officia: cum docilitas, & beneuolentiam ad attentionem reuocari queant.

Quod ad auctorum opiniones attinet, quidam,

Li.4.c.4 *dam, referente Fabio, plura quam tria voluerunt eſſe exordiorum munera: at vero, tam antiqui, quam noui ſcriptores tria ſtatuunt officia, facere beneuolum, attentum, atque docilem.* In part. *Ita Tullius, Herennianus auctor, Conſultus, Fabius, & alij Sumuntur autem, inquit Cicero trium rerum gratia: vt amice, vt intelligenter, vt attente audiamur. Nec me latet eſſe quoſdam, qui non tria officia, ſed tres exordiorum fines appellant, quorum loquendi ratio, non omnino placet.* Victori.

Quoniam vero in diſputatione verſamur manifeſta, ad cuius explicationem nihil occurrit notandum; propterea ad ipſas poſitiones accedam, quibus, quid de re propoſita ſentiendum ſit breuiter perſtringam. Quod ſi quis priuata ſingulorum officiorum exempla deſiderabit, Mancinelum in commentarijs in rhetoricam ad Herennium legat: ſcripſit etiam quidam Gaſparinus Bergomenſis, multa exordiorum exempla, quæ manu ſcripta legi; ſint ne adhuc excuſſa, haud ſcio: ſed iam ad ipſas poſitiones veniamus.

Prima poſitio, tria ſunt exordiorum munera, facere beneuolum, attentum, & docilem.

Ci.1.de Inu. De ora. ad Brut. *Hæc poſitio, primum confirmatur ex communi doctrina omnium, qui de rhetoricis aliquid literis commendarunt; quorum loca, & verba,*

verba, in re ſatis perſpicua cur afferam nihil eſt neceſſe. Deinde, ad auctoritatem, hæc manifeſta accedit ratio, quæ horum trium munerum neceſſitatem demonſtrat. Nam, cùm quis apud alios verba eſt facturus, profecto fruſtra ſermonem fundet, ſi auditorum animos a ſe habebit auerſos; cum iis qui erga dicentem animo ſunt iniquo, quid ille dicat minime curent, eiuſque dictis fidem habeant nullam. Sed eſto audientem ab eo qui dicit animum non habere alienum; tamen ni quæ dicit attente percipiat, cogitationemque & mentem ad ea quæ audit non conuertat, inutiliter ad eius aures vox per ſonabit dicentis; quæ vel non ingredietur, vel ingreſſa ſtatim effluet. Ideo monebat Sapiens, non eſſe fundenda verba, vbi non eſt auditus, hoc eſt, vbi non eſt audientis attentio. Denique fac aliquem eſſe animo grato atque beneuolo, animumque in id, quod audit acriter intendere: ſi quæ libenter excipit, non intelligit, nullus in eo poterit fieri motus, fides ingenerari nulla. Quod ſi quis quæ audit, beneuole, attente, intelligenterque audit, is profecto erit ad reliquam dictionem percipiendam maxime idoneus, atque apparatus; & hic eſt proprius exordiorum finis. Si igitur per hæc tria munera, quibus exordiendo Orator vtitur, id quod propoſitum in exordio habet, conſequitur; tria eſſe, nec plura, nec

Aug. Valer. c. 49.

nec pauciora, affirmare neceſſe eſt: Nam ſi ex tribus, vnum, vel alterum ei detrahas, fruſtra exordiendo laborabit: ſi quartum addas, nihilo melius ſuum conſequitur finem. Optime itaque ſe geret, qui dicit, ſi hoc triplici fungatur munere; vt, quantum in ſe eſt, beneuolum, attentum, docilemque auditorem faciat. Is autem auditor beneuolus eſſe dicitur, qui animo grato, beneque erga dicentem, & cauſſam ipſam affecto, auditurus eſt. Is attentus, qui audiendi cupiditate incenſus, aures attentas præbet, & in ea quæ dicenda ſunt, mentem cogitationemque intendit. Is denique docilis, hoc eſt aptus, vt doceatur, qui rem propoſitam optime percipit, atque intelligit.

Aſcen. *Secunda poſitio, hæc tria officia, non ſunt ita exordij propria, vt in alijs etiam orationis partibus aliquando adhiberi non poſſint, & debeant, quamuis non eadem prorſus ratione. Doctrina eſt multorum Rhetorum, & priuatim M. Tullij non vno in loco, quam in eius orationibus obſeruare, & notare licet: idem ante ipſum docuit Ariſtoteles. Et cauſſæ ipſæ, quæ tractantur, interdum, vel beneuolentiæ, vel attentionis, vel docilitatis innouationem omnino deſiderant, iuxta ea quæ poſtea de exordijs ſingulorum generum dicemus. Sed iam eos indicemus locos, qui ad huiuſmodi*

officia præſtanda conferunt.

Tertia poſitio, beneuolentia ex his captatur locis: a re ipſa, a perſonis, & a rerum atq; perſonarum adiunctis. A re, hoc modo, cauſſam noſtram laudando, & aduerſariorum per contemptionem deprimendo. Conciliatur itaque beneuolentia, tum a rebus noſtris, dum eas honeſtas, iuſtas, neceſſarias, cognitione, fauore, & commiſeratione dignas eſſe demonſtramus: tum ab aduerſariorum rebus, ſi contraria dixerimus. Ab adiunctis cauſſæ, vt ſunt, locus, tempus, habitus, vulgique opinio, & id genus alia, quæ prudens animaduertet Orator. A perſonis, quinque modis, vt Fabius ſcribit, ſcilicet a perſona actoris, patroni, litigatoris, rei, & iudicijs: vel, vt alij tradunt, vel a noſtra, vel ab aliena perſona; vt aduerſarij, iudicis, & auditoris: & ab adiunctis perſonarum. A noſtra perſona hoc modo, ſi officium, ac meritum noſtrum in patriam, in parentes, in amicos, & in ipſos auditores ſine arrogantia laudabimus: ſi noſtra incommoda, inopiam, calamitatem; difficultatemque aperiemus: ſi precibus, ſupplicationibus, ſummiſſaque petitione vtemur: ſi non odio, non ira, non ambitione, aliave praua animi perturbatione ducti, ſed potius iuſtitia, veritatis ſtudio, gratificandi

Exempla lege apud Anto. Man.

In orat. pro Mil.

Auct. ad Her. li. 1

Cic. li. 1 de Inu. Pro leg. Man. Roſcio. Rabir.

gratificandi voluntate, atque in oppreſſos miſericordia, ad dicendum nos veniſſe dixerimus: ſi denique nihil ſuperbe, nihil contentioſe, nihil arroganter, & contumelioſe nos dicturos eſſe pollicebimur. A perſona aduerſariorum, ſi eos, vel in odium adducemus: ſi quid iniuſte, ſuperbe, perfidioſe, crudeliter, malitioſe, confidenter, ſpurceque ab eis factum fuiſſe dixerimus: vel in inuidiam trahemus, ſi vim, potentiam, factionem, diuitias, nobilitatem, affinitates, & clientelas eorum proferemus, eoſque magis hiſce rebus, quam veritate, & æquitate confidere, demonſtrabimus: vel denique, ſi in contemptum adducemus, eos deſides, ocioſos, inertes, negligentes, luxuique deditos eſſe demonſtrando. Ab auditorum perſona hoc modo; ſi res ab ipſis honeſte, prudenter, temperate, fortiter, iuſte, ſapienterque geſtas, ſine vlla aſſentationis ſuſpicione proferemus: ſi eorum merita, & dignitatem indicabimus: ſi quæ de eis eſt exiſtimatio, & iudicij auctoritatiſque expectatio, aperiemus: poſtremo, ſi qua ratione eorum famam, innocentiam, mores, vitamque defendemus, atque fauorem, ſecuritatemque illis pollicebimur. Denique, conciliari poteſt beneuolentia ab adiunctis perſonarum; vt ſunt, parentes, filij, coniuges; item propinquitates, amicitiæ, regiones, ciuitates,

Cic. pro Mil.
Pro Deiot.
Lege Lucan. Exor. in orat. Cęſar contra Pomp.
Pro Cecin.
Pro Seſ.
Pro Quin.
Cice. in exor. Milon.

tes, & ſimilia. Ratio autem, cur ea omnia, quæ diximus, ad captandam beneuolentiam valeant, ea eſt, quod non præmeditati ad dicendum acceſſiſſe, ſed pro rei opportunitate dixiſſe videamur. M. Ioan. Mer.

Quarta poſitio, attentio captari poteſt, tum a noſtra perſona, tum a rebus ipſis: a perſona hoc pacto: ſi prudentiam noſtram, auctoritatem, rerum cognitionem, dicendi vſum, ſemota arrogantiæ & ambitionis ſuſpicione, commendabimus: ſententiarum grauitate, virtutis æſtimatione, veritatis, æquitatiſque ſtudio, omni ſemoto vitio. A rebus, hac ratione: ſi ea de quibus ſumus dicturi, dicemus eſſe magna, vt fecit ille, qui cecinit, Virgi. li. 1. Aene.

Maior mihi rerum naſcitur odo;
Maius opus moueo.

noua, inuſitata, non amplius audita, grauia, decentia, vtilia et neceſſaria ad diuinum cultum, ad remp. & ad eos qui audiunt tuendos; & denique, ſi nihil extra cauſſam nos dicturos, & non diu moraturos eſſe pollicebimur. Liu. li. 2. ab Vrb. cond. & lib. 7.

Quincta poſitio, docilitas hoc modo comparanda eſt: ſi attentos auditores fecerimus, cum is docilis cenſendus ſit, qui attente vult audire: ſi id, in quo tota controuerſia eſt poſita, vel id quo de dicturi ſumus, breuiter planeq; propoſuerimus: docilitas enim ſicut & attentio potiſſimum

tiſſimum a reipſa petenda eſt: vt fecit Poeta, cum cecinit,

Arma, virumque cano, Troiæ qui primus ab oris,
Italiam fato profugus, Lauinaque venit
Littora, &c.

Docilitas itaque rei propoſitione, breuique partitione, ni partitio narrationem ſubſequi debeat, captanda eſt.

Cic. pro Cluen.

Sexta poſitio, hęc tria munera, non ſunt ſemper adhibenda in omni oratione, ſed, vel omnia, vel duo, & rarius vnum, pro auditorum, & cauſſarum varietate. Verum, vt Ariſtoteles docuit, priuata quadam ratione in cauſſa iudiciali adhiberi ſolent: quæ, vel ex vno, vel ex pluribus locis iam recenſitis, ſumere licebit; & ex eo maxime, qui magis opportunus videbitur; vel a re, vel a perſona, eorumque adiunctis.

Lib. 2. c. 14.

Septima poſitio, hæc tria munera non ſolum in exordio, ſed etiam in tota oratione, cum res ipſa poſtulabit, adhibenda ſunt. Hæc poſitio Antonij auctoritate comprobatur, qui apud Tullium hunc in modum hac de re loquitur, Quæ præcepta principiorum & narrationum eſſe voluerunt, ea in totis orationibus ſunt conſeruanda. Nam & ego mihi beneuolum iudicem facilius facere poſſum, cum ſum

Libro 2. orat.

in curſu orationis, quam cum omnia ſunt inaudita. Docilem autem non cum polliceor me demonſtraturum, ſed cum doceo explano. Attentum vero crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione efficere poſſumus. Eandem ſententiam, idem ad finem ſecundi oratorij repetit. Huc facit quod Vlpianus Demoſthenis explicator in primam Vlp. *Olynthiacam ſcribit, duo eſſe procœmiorum genera: vnum eorum, quæ toti orationi viam muniunt: alterum eorum, quæ etiam in media oratione fiunt.*

Octaua poſitio, ex his tribus officijs, magis neceſſarium eſt facere docilem, quam attentum & beneuolum, & magis attentum, quam beneuolum. Quippe, docilitas ex re ipſa requiritur, quam ſequitur & iuuat attentio, & qui intelligenter, & attente audit, etiam beneuole audire videtur: quamuis, vt adnotauit Fabius, Libro 4. c. 1. *paucæ reperiantur rationes, quæ exordia ſine beneuolentiæ conciliatione habeant. Et ſane, vt Demoſthenes exiſtimauit, eloquentiæ vis maxime ab auditorum beneuolentia pendet.*

Nona poſitio, in exordijs, ſi neceſſitas cogat, remouendum eſt id, quod impedimento eſſe poteſt, ne auditor beneuole, attenteque audiat, & vniuerſe vt dicam, quidquid reliquam dictionem impedire poteſt: id quod patrono po-

tiſſime faciendum eſt, eos commendando, quos defendendos ſuſcepit. Id præſtitit M. Tul. in oratione pro Flacco, pro M. Cęl. pro L. Maręna; quibus in locis eorũ perſonas commendauit, quos defendebat: vt ex hac cõmendatione, quod attentioni & beneuolentiæ obeſſe poterat, id remoueret. Idem Ilioneus in ea oratione, quam habuit ad Didonem. Vt ergo patronus in exordio crimina remouere debet: ita accuſator in epilogum ea congerit, vt memoriæ hæreant, id quod in vltima verrina Tullius fecit. Loci, quibus ea reijcere poſſumus, quę nobis impedimento ſunt, infra numerabuntur.

Ver. lib. c. Aen.

Nona poſitio, interdum in exordio danda eſt opera, vt iudicis intentio, quam præſtat aduerſario attenuetur, & ab eo auertatur. Pręceptum eſt Quinctiliani, cui non probatur, quod ſcripſit Ariſtoteles, attentionem interdum non eſſe captandam, ſed potius riſum eſſe mouendum: quod tamen fieri poſſet, cum auditor eſſet audiendo defeſſus. Quod hoc loco docemus fecit Tullius in Ligariana, vbi per ironicum exordium Cęſaris mentem totam aduerſario ad ictam, ad ſe reuocauit. Mouit etiam aliquando riſum, ſed extra exordium, in oratione pro L. Muręna, vbi ita Stoica paradoxa, quibus Cato deditus erat, cauillatus eſt, vt totum iudicium riſu compleuerit.

Decima

Decima poſitio, tres quę tribuuntur narrationi virtutes, ſolent etiam a quibuſdam exordio tribui, proprietas, breuitas, & perſpicuitas. Quam doctrinam non obſcure tradidit in ſecundo oratorio apud Ciceronem Antonius. Pro Cę. Lege Cicer. 2. de orat. Cla. Mi.

Vndecima poſitio in exordio aliquis adhibendus eſt motus, & huius rei cauſſa aliqua amplificatio. Doctrina eſt Tullij in partitionibus, quam approbarunt alij, eamque in eiuſdem orationibus obſeruares, vt in exordijs contra Catilinam, pro Roſcio Amer. pro P. Quint. pro C. Rabirio alijſque in locis. Atque de poſitionibus hactenus: quæ autem contra allata ſunt argumenta, ita refelleres. Maiora.

Ad primum, concedimus hæc munera alijs in locis interdum præſtanda eſſe, ſed quia pręcipue, & ex profeſſio id fit in exordio; ideo ei priuatim tribuuntur: & loca in quibus ponuntur, ſunt veluti parua quædam, & quaſi iterata exordia. Narratio docet, ſed per modum expoſitionis, & cuiuſdam probationis: debet enim eſſe argumentoſa, vt dicetur poſtea. Similiter partitio docet, ſed alio modo per partium propoſitionem, & capitum enumerationem: at vero exordium per ſimplicem rei propoſitionem.

Ad ſecundum, ſi quis motus in exordio eſt faciendus, id fiet ſi recte tribus illis functi fuerimus officijs: ac proinde motus, qui magis eſt

proprius perorationis, & amplificatæ probationi non recenſetur inter exordij munera.

Ad tertium, hoc argumentum facile diluitur; quia hæc tria officia tribuuntur exordio vniuerſe ſumpto; & ita non propterea, quod in aliquo exordio, vnum vel alterum non eſt adhibendum, recte concluditur, non eſſe numero tria; vt etiam ſupra de partibus orationis dicebamus.

Ad quartum, præparare auditoris animum, non tam ad munus, quam ad finem exordij referri debet.

Ad poſtremum, docilitas, & attentio diuerſa ſpectant: illa rei intelligentiam, hæc animi applicationem ad audiendum; quamuis qui edoctus eſt, etiam ad attentionem ſit comparatus. Atque de hac diſputatione ſatis.

De Inſinuatione, an ea interdum vti, liceat, & qua ratione. Diſputatio V.

NEmo eſt eorum, qui de rhetoricis ſcribunt, qui ab inſinuatione interdum exordiri neceſſarium eſſe non doceat: quam communem & veram Rhetorum ſententiam his rationibus in dubium reuocares.

Primum

Primum inſinuatio, eſt inſidioſus quidam in animum auditorum, ſeu in cauſſam ingreſſus, vt ex eius deſcriptione, & notatione eſt manifeſtum: atqui hæc exordiendi ratio non confert ad animos conciliandos, ſed potius ad eoſdem auertendos; cum quæ inſidioſe fiunt, hominibus diſplicere ſoleant, ægreque homines ferant ſe per inſidias capi: nullum igitur idoneum ab inſinuatione ſumitur exordium.

Deinde, ſi vlla in cauſſa opus eſt inſinuatione, maxime in ea, quæ aliquam turpitudinis ſpeciem præ ſe fert: verum ab Oratore nulla turpis cauſſa ſuſcipienda eſt, vt Fabio optimo dicendi magiſtro placet; nullus igitur erit inſinuationis vſus.

Poſtremo, in exordio nihil magis valet ad conciliandam attentionem, captandamque beneuolentiam, quam morum ſignificatio; quam profecto non præbet is, qui tanquam inſidiator aggreditur: nunquam igitur erit inſinuatione vtendum, ſi in exordio ea præſtare voluerimus munera, quæ præſtanda eſſe docuimus.

In hac diſputatione, quod ſciam, nullæ ſunt inter ſe diuerſæ Rhetorum ſententiæ, ac proin de ſola rei explicatione eſt opus.

Animaduertendum itaque eſt, inſinuationem, ex ſe ſuaque natura, nullam falſitatem deceptionemve continere, propter quam audi-

toris inuiſa, & ingrata videri debeat, ſed ſolum pro rei conditione, in ipſam cauſſam, quæ alias non libenter audiretur, vel quia auditu videtur indigna, vel quia auditor eſt iam audiendo defeſſus, artificioſum & latentem ingreſſum. Quo fit, vt re non differat a principio, in quo recta & aperta via ad cauſſam, beneuolentiam, attentionemque captando, venitur: id quod etiam in exordio, quod inſinuationem continet, prꝭſtatur; ſed per ſinus, & quaſi cuniculos: quibus ad eum finem peruenimus, qui eſt exordienti propoſitus. Quare, cum auditores, qui alias aures minus idoneas & gratas exhibuiſſent, ſe quadam honeſta, & artificioſa ratione ad audiendum captos, & quaſi obligatos videant, id nullo modo ægre ferunt, ac proinde attente beneuoleque audiunt. Verum, id qui efficere volet, debet eſſe ingenio prompto, callido, & perſpicaci. Namque recta & aperta via ingredi, cuique eſt facile, ſinuoſa vero & tecta, ſine errore vti, & quo volueris peruenire paucorum eſt; eorum nimirum, qui ingenij acumine & perſpicacitate præſtant. Ex quibus conficitur maximam in hoc exordiendi genere curam cogitationemq; adhibendã eſſe: vt ſequentibus poſitionibus perſpicuum fiet.

Prima poſitio, inſinuatio non eſt quoddam exordij genus omnino a principio diuerſum, ſed

re

re idem, quamuis tractatione differat. Siquidem in vtroque exordio eadem pręſtamus munera, licet non eadem prorſus ratione, & in eundem finem tendimus, quamuis alia atque alia vtamur via.

Secunda poſitio, inſinuationis tria potiſſimũ ſunt tempora: Cum cauſſa eſt aliqua turpitudine affecta, aut cum res ipſa de qua agitur, auditoris animum a nobis alienat: cum animus auditoris eſt perſuaſus, ab eo qui ante nos dixit: & poſtremo, cum eſt defeſſus eos audiendo, qui ante nos dixerunt.

Hanc poſitionem confirmat communis omnium Rhetorum ſententia: ita auctor Herennianus, ita M. Tullius, Quinctilianus, & alij, qui hos ſecuti ſunt dicendi Magiſtri. Ade etiam, quod non facile aliam inuenires cauſſam, ob quam non recto principio, ſed inſinuatione vtendum ſit. Videbit igitur is qui dicturus eſt, an quicquam ſit in re ipſa, aut in auditoribus, cuius cauſſa ab inſinuatione initium capere debeat; ne ſi palam in eam ingredi velit, ſtatim ab auditoribus aditus pręludatur. Nam, vt Tullius prudenter admonet, ab iratis, ſi perſpicue pax & beneuolentia petitur, non modo ea non inuenitur, ſed augetur, & inflammatur odium. Qui autem ſint horum trium temporum ad inſinuationem conficiendam loci,

Li. 1. de Inuent.

Libro 1. de Inu.

ſequentibus explicabo poſitionibus.

Tertia poſitio, ſi cauſſa turpitudine laborat; hi ſunt in inſinuatione animaduertendi & adhibendi loci.

Auctor Heren. lib. 1. Cic. li. 1. de Inu.

Si res ipſa turpis videatur, ad perſonæ boneſtatem confugiemus: ſi vero perſona, rei boneſtate vtemur: aut pro eo homine, qui offendit, alius qui diligitur interponi poterit, ut Turnus apud Virgilium in oratione ad Aeneam fecit:

Lib. 12. Aen.

Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere ſorte tua miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ.

Quandoque res pro re, vt ſi vir qui præclare fortiterque ſe in bello geſſit, violatæ fidei in hoſtes accuſaretur. In hoc genere illud in primis diligenter curandum eſt, vt crimen & turpitudo minime placere videantur: diſſimulare itaque oportet, id te defenſurum, quod exiſtimeris defenſurus: quod artificioſiſſima inſinuatione in oratione pro Q. Ligario fecit M. Tullius. Augendum eſt ergo crimen, ſed pedetentim in cauſſam ingrediendo, nihil tale commiſſum fuiſſe dicendum, aut in alios reijciendum erit, vt pro M. Murena idem fecit, ſimulque aduerſarij artificioſe in odium trahendi ſunt, dum de eis nos nihil dicturos eſſe dice-

Cic. lib. de Inu.

mus,

mus, ſed interim aliquid interijciemus, vt ab eis eorumque cauſſa auditorum auertantur animi, quod in ea, quæ eſt pro Deiotaro, animaduertere licet. Adhibendi etiam ſunt comparationis loci minorum, & maiorum, a rebus, vel a perſonis ſumpti; vt in Ligariano exordio facile obſeruares. Denique, vbi omnis offenſio ſublata, & iudicis animus non omnino videbitur auerſus, cauſſa propoſita, attentio petenda, & auditoris animus conciliandus erit.

Quarta poſitio, cum auditoris animus, ab eo qui dixit fuerit perſuaſus, his locis nos in cauſſam inſinuare poterimus.

Primum, ſi de eo nos prius dicturos eſſe pollicebimur, quod firmiſſimum ſuæ cauſſæ præſidium aduerſarius putauit. Ex hoc enim auditor facile intelliget, non eſſe omnino aſſentiendum ijs, quæ ad ſuæ cauſſæ confirmationem aduerſarius attulit. Deinde, ſi initium ſumemus ab aliquo aduerſarij dicto, & ab eo potiſſimum, quod nuperrime dixit: ſolent enim quæ poſtremo loco dicuntur, vel eſſe firmiora, vel magis animo auditorum hærere; vt eo ſublato, aut eleuato, facile nobis attentum reddamus auditorem. Poſtremo, ſi cum quadam dubitatione, quid prius dicere, aut cui loco primum reſpondere, nos ignorare demonſtrabimus,

mus, Exemplũ habes in oratione pro A. Cluentio, vbi Orator pollicetur ſe dicturum de eo, quod aduerſarij firmum putarunt: & cum admiratione dubitat, quonam ſe vertere debeat. Nam auditores, cum eum, quem aduerſarij oratione perturbatum eſſe putant, animo firmiſſimo ad contradicendum paratum vident, potius ſe temere aſſenſiſſe, quam illum ſine cauſſa confidere arbitrantur.

Quincta poſitio, quando auditor eſt defatigatus, vel alio quouis modo alienatus, vt nihil amplius audire velit, hi loci ad inſinuandum erunt accommodati. Primum, ſi breuius, quam parati fuerimus, nos dicturos eſſe pollicebimur, & non tot verba facturos, vt aduerſarius fecit, breuiterque quod ſit nobis propoſitum exponemus. Deinde, ſi a re aliqua iucunda, noua, & ſi cauſſa patitur, ab aliquo ioco, & re quæ ad animum exhilarandum, riſum ve mouendum valeat, initium capiemus; vt ſi ab aliquo apologo, fabulaque ad rem accommodata, aliaue ratione, vt auctor Herennianus, apud quem locos ad riſum mouendum aptos legere poteris, priuatim docet, auſpicabimur. Poſtremo, ſi res iocum non patitur, ab aliqua re noua, triſti, horribili, ſeueraque auſpicandum erit. Vt enim cibi ſatietas, & faſtidium, aut ſubamara aliqua re releuatur, Cic. lib. j. de Inu.

aut

aut dulci mitigatur, ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur. Si quis priuata horum trium modorum inſinuandi exempla videre cupit, Mancinellum & Vuercherum legat. Nunc, quoniam a defenſore, calumniæ ab aduerſario in fine ſuæ orationis allatæ, in exordio remouendæ ſunt, ne ſibi impedimento eſſe poſſint, eos ſummatim adſcribemus locos, quos ad eas diſſoluendas adnotauit Ariſtoteles.

Sexta poſitio, in eo inſinuationis genere, quo vtimur ad conciliandum iudicis animum iam perſuaſum, hi ſunt ſpargendi, ſeu adhibendi loci: Criminis inficiatio, eleuatio, reiectio in alium, vel in fortunam, caſſum, neceſſitatem ve, recriminatio in aduerſarium, recta intentio, comparatio cum alijs criminibus & perſonis, & horum ſimiles, quos citatus auctor numerauit, de quibus nos in libro de ſtatibus fuſius ſcribemus.

Septima poſitio, inſinuationis partes erunt eædem, quæ principij: protaſis ſeu propoſitio, & concluſio; illam axioſis, ſeu apodoſis ſequetur, hanc vero baſis, & fundamentum quo redditio & propoſitio iunguntur, antecedat. Atque hęc ſunt quæ de inſinuatione dicenda ſeorſim habui. Quæ autem allata ſunt argumenta, hunc in modum ſolueres.

Primum

Primum, facile ex dictis refellitur: quoniam inſinuatio, nullas proprie continet inſidias, ſed artificioſam beneuolentiæ, & attentionis captationem, quæ animis non omnino feris, & acerbis ſolet accidere grata.

Secundum, facile dilueres, ſi diceres oratorem interdum cauſſas quæ turpitudinis ſpeciem habent ſuſcipere defendendas: quæ tamē non ſunt re vera turpes; ac proinde ob apparentem turpitudinem ei inſinuatione vtendum eſſe.

Tertium vero, nihil concludit: quia, qui ſeſe in cauſſam inſinuat, non pro inſidiatore, ſed pro artificioſo Oratore habendus eſt: nullam itaque improborum morum, dum artificioſe exorditur, ſignificationem præbet.

Cuiuſmodi debeant eſſe exordia in omnibus cauſſarum generibus. Diſputatio VI.

CVm orationum exordia ſint veluti earum capita, quæ ſuis corporibus debent eſſe accommodata; hinc fit, vt pro cauſſarum varietate varia quoque debeant eſſe initia: ne ſi quis idem exordiendi genus in quauis adhiberet oratione, monſtrum quoddam conſi-

conficeret. Quare, præter eam doctrinam quam ſupra generatim de exordio tradidimus, neceſſarium eſt, vt ſpeciatim de recta exordiendi ratione præcepta tradamus. Et quoniam in re minime controuerſa verſamur, nihil eſt cur vllas rationes dubitandi cauſſa afferamus. varijs igitur poſitionibus plane perſpicueque, de ſingulorum generum exordiendi ratione, quid tenendum ſit, aperiemus.

Prima poſitio, pro cauſſarum generibus varia debent eſſe exordia; ita vt aliud in laudatione, aliud in ſuaſione, aliud in alijs generibus adhiberi debeat exordium. Hanc doctrinam nobis rhetorum Princeps tradidit Ariſtoteles; eandem approbauit, non vno in loco M. Tullius: eandem ſecutus eſt Quinctilianus, Lib.2.de orat. *eandem deniquem omnes poſteriores dicendi magiſtri, nemine diſcrepante, ſequuntur. Et* Lib.j.de Inu. *ea poteſt confirmari ratione, quod cum orationes ſint veluti corpora quædam, congruenti ſibi capite debent eſſe ornata.*

Secunda poſitio, hæc exordiorum varietas ſpectanda eſt in illis generibus cauſſarum, de quibus ſupra ſcripſimus, & præſertim in demonſtratiuo, deliberatiuo, & iudiciali, & in eorum partibus, ſiue formis, quas alio loco, his tribus generibus ſubijciemus. Vt ecce, ſub demonſtratiuo continentur, laus, vitupera-

tio,

tio, gratulatio, gratiarum actio, & nonnullæ aliæ: ſub deliberatiuo, ſuaſio, diſſuaſio, petitio, commendatio, hortatio, conſolatio, conciliatio, & reconciliatio: ſub iudiciali vero, accuſatio, defenſio, criminatio, purgatio, & aliæ nonnullæ. De his ſingulis generibus, & generum formis, duo explicari poſſent: primum, ſi doceretur qualia debeant eſſe ſingulorum exordia: alterum, quo pacto illa tria exordiorum munera, beneuolentia nimirum, attentio, & docilitas in ſingulis captanda ſint: illud nos hic explicandum ſuſcipimus; hoc vero prætermittemus, cum ex doctrina de communibus exordiorum locis tradita, in quouis dicendi genere, & forma, iſta munera præſtari queant.

Tertia poſitio, generis demonſtratiui exordia ſunt maxime libera, ita vt non ſolum a re ipſa, ſed etiam extra cauſſam ea ſumere liceat.

Doctrina eſt omnium Rhetorum, & priuatim Ariſtotelis, M. Tullij, & Quinctiliani: quam confirmare licet ipſorum Oratorum conſuetudine, qui hoc in genere exordijs vtuntur extra rem petitis. Id fecit Iſocrates in encomio Helenæ, in cuius exordio contra Sophiſtas diſſerit; aliaque huiuſmodi multa proferri poſſent exempla. Adde poſtremo rationem ductam à ſimili de ijs, qui fidibus canunt, qui pro

ſua voluntate, hoc, vel illo præludio ad animos eorum qui adſunt excitandos, vtuntur: id, quod in hoc genere ſpeciatim facere licet, cum ſit ad animos oblectandos potiſſimum comparatum. Quare, vt tibicines quodcunque volunt poſſunt præcinere, ita eis qui in hoc genere verſantur, vndecunq; libuerit, auſpicari licet. Hoc exordiorum genus Græci Endoſimon vocant, quod, vt Budeo placet, nihil aliud ſignificat, quam auſpicatum melodiæ, ſiue rhytmi, datum ab ipſo Chorodidaſcalo, ſeu cantorum Præfecto, cui accinere Chorus debet: translate pro occaſione data ſumitur. In cuius vocis explicatione Victorius, & Maioragius, vt quidam adnotauit, hallucinati ſunt. Ric.

Quarta poſitio, quamuis laudatori ea ſit conceſſa facultas, vt vndecunque velit, ei exordiri fas ſit; tamen, ita huius exordij tela texenda eſt, vt paulatim ad finem progrediendo debeat ad cauſſam accommodari: ne quod conficitur initium inter ea reijci poſſit principia, quæ ſeparata vocantur. Hanc doctrinam tradidit M. Tullius in oratorijs, cum hunc in modum ſcripſit, Connexum autem ita ſit principium conſequenti orationi, vt non tanquam citharędi procæmium affictum aliquid, ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe videatur. Atque huiuſmodi illa proluſio debet eſſe, Lib. 2. Oratorio.

non

non vt Sannitum, qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur; ſed vt ipſis ſententijs quibus proluſerunt, vel pugnare poſſint. Quare, quod aliqui dicunt exordia aliena & ſeparata in genere demonſtratiuo vitioſa non eſſe, intelligendum puto, quod attinet ad initium, exordiendique occaſionem: cum re vera, aliqua ratione, cum reliqua oratione coniungenda ſint. Quod diximus de exordiendi forma in laudationis genere, idem dicas cum aliqua infinita tractatur quæſtio; vt ex ijs, quæ epiſtola quincta, libro decimoſexto ad Atticum ſcribit Tullius, colligere licet. Eo exordij genere, quod non eſt cum re explicanda coniunctum, interdum vtuntur hiſtorici, vt in coniuratione Catilinæ, & in bello Iugurtino fecit Saluſtius.

Ric.

Quincta poſitio, etſi exordia in genere demonſtratiuo ex varijs ac diuerſis locis ducere licet: tamen, quoſdam dicendi artifices notare ſolent locos; ex quibus potiſſimum ſumuntur.

Ariſt.

Primum, a laude & vituperatione; ſi de re quapiam dicere aggrediamur, quæ ſit, vel laude, vel vituperatione digna. Ita fecit Gorgias in ſuo Olympico, id eſt, in ea oratione, quam in olympicis habuit, in qua a laudatione eorum qui cœtus cogunt, ſumpſit exordium. Iſocrates

tes autem ſuum panegyricum a vituperatione eorum, qui eas tantum celebritates inſtituerũt, in quibus præmia ob corporis virtutes dantur, exordiri voluit: at vero Plinius in eo panegyrico, quem Traiano dixit, a laudatione initium fecit. Quo loco danda opera erit, vt auditor ſe, vel ſua aliquo pacto laudari intelligat. Deinde a conſilio, vel ſuaſione, & diſſuaſione, hoc eſt, dum orator in exordio ſuum patefacit conſilium, & quod alijs faciendum ſit oſtendit: vt ſi dicat, opus eſſe aliorum geſta virtuteſq; ornare. Poſtremo ab auditoris perſona, quod eſt generis iudicialis proprium, hoc eſt, cum tale adhibetur exordium, vt audientium animi per beneuolentiam, attentionem, & docilitatem concilientur, & ad audiendum idonei reddantur; vt ſi quis de re ardua, incredibili, vel peruulgata eſſet dicturus. Atque hæc fere ſunt, quæ de genere laudationis, quod ad exordium attinet, præcipiuntur: nunc de deliberatiuo.

Sexta poſitio, genus deliberatiuum ex ſua natura nullum requirit exordium. Doctrina eſt Ariſtotelεa, a qua non diſſenſit Cicero; In part. *cum dixit, aut nullum, aut non longum requiri: quam, ea confirmat ratio, quoniam in hoc genere, vt plurimum, id de quo eſt ſermo habendus, manifeſtum eſt, & auditores cum de*

rebus ad ipſos aliquo pacto ſpectantibus agitur, ſunt attenti, ac proinde etiam beneuoli.

Septima poſitio, cum in hoc cauſſarum genere adhibendum erit exordium, neceſſitas ex iiſdem orietur capitibus, ex quibus in iudiciis oritur, hoc eſt, ex parte Oratoris, aduerſarii, auditoris, & ipſius rei.

Lib. 3. *Præceptum eſt Ariſtotelis, quod etiam Quinctilianus approbat. Ex parte actoris, ſi ei aliquid ſit refellendum: ex parte aduerſarii, ſi quid eſt ei obiiciendum ex parte auditoris, ſi rem non tanti facit, quanti deberet. Cicero de lege Agraria contra Rullum a ſua & auditorum perſona exordiendo beneuolentiam captat, quod ſuſcepta cauſſa contra P. R. eſſe videretur, ideo ad proœmium confugit, vt Plinius adnotauit. In Philippicis fere a re ipſa exorditur.*

Octaua poſitio, quinque ſunt potiſſimæ cauſſæ, ob quas in hoc cauſſarum genere opus eſt exordio.

Prima, vt aduerſarium accuſemus, ſi quid inutile, damnoſum, turpeue ſuaſerit; vt in octaua philippica fecit Romanus Orator. Secunda, vt, ſi quæ in nos cauſſamque noſtram obiecta ſunt crimina, ea diluamus: Exemplum habes apud eundem in Antoniana ſeptima. Tertia, vt aliquid amplificemus; quod idem auctor

oratione

oratione tertia in Antonium fecit. Quarta, vt aliquid imminuamus, vt in exordio agrariæ orationis obſeruare licet. Poſtrema, ornamenti, & dignitatis cauſſa, ne oratio quaſi ſine capite eſſe videatur; præſertim cum de re eſſet agendum grauiore; & ne oratio temere, & ſine conſilio ſuſcepta videatur. Ita Cicero in philippica nona, & in Maniliana: cuius exordium totum ad ornamentum, & dignitatem eſt comparatum. Hinc eſt quod Ariſtoteles Gorgiæ encomium ad Elienſes damnat, quod ſine vlla dignitate rem fuerit aggreſſus. Debuiſſet enim, ni tibicines, ſaltem athletas imitari, qui antequam manus conferant, brachia cum quadam honeſtate extendunt, & huc, atque illuc mouent. Idem Cicero in oratorijs, metaphora ſumpta a gladiatoribus luculēter expreſſit. Hi enim ita, primas haſtas leniter iactāt vt & venuſtati, vel maxime ſeruiant, & reliquis viribus ſuis conſulant. Vt igitur in gladiatorio certamine multa ante congreſſum fiunt, quæ non ad vulnus, ſed ad ſpeciem valere videantur, quanto hoc magis in oratione, expectandum eſt, in qua non uis potius, ſed delectatio poſtulatur? Lib. 2. orat.

Nona poſitio, in his exordijs, & præſerſertim cum honeſtatis cauſſa adhibentur, hæc fere præſtabit Orator. Cur ad dicendum vene-

rit, & qua mente ſit dicturus aperiet: quid velit, & qua de re ſit acturus: orabitque vt ſe breuiter dicentem, amice, & attente audiant. Præcipit id M. Tullius, & vſu etiam ſæpe docet.

Decima poſitio, in ſententijs dicendis ſint exordia, ſiue principia breuia: cum exordij munera, in hoc cauſſarum genere, vel non ſint adhibenda, vel non omnia, vel ſaltem obiter vt ſupra docuimus, ea attigiſſe ſufficiat. Atq; de exordio deliberatiuo hactenus: nunc de iudiciali.

Vndecima poſitio, iudicij genus magis, quã vllum aliud requirit exordium, & tria illa munera, ſuperius expoſita, ex parte perſonarum, & rerum ſumpta, ex quibus ſumi poſſe docuimus. Etenim, cum hoc in genere tractentur crimina, ſitque, quod ad accuſationem attinet, odioſum, qui accuſat, ne videatur temere in forum veniſſe, aut iniuſtam cauſſam proponere, profecto vti debebit exordio: ei vero qui defendit, propter præcedentem accuſationem, & ſuaſionem, omnino exordiendum erit. Eandem neceſſitatem animaduertes, ſi in auditorum, & eius qui defenditur, cauſſæque ipſius ſpectabis conditiones.

Duodecima poſitio, in cauſſis iudicialibus exordia potiſſimum ex ipſius cauſſæ viſceri-

bus

bus præmenda ſunt. Præceptum eſt Tullianum, quod Fabius, & poſteriores dicendi artifices approbarunt: & ea innititur ratione, quoniam in hoc genere, quidquid dicitur, debet eſſe rei de qua agitur maxime cognatum, & ad eam conficiendam accommodatum: quippe quod totum ſit, non ad dicentis, ſeu audientis voluntatem, ſed ad cauſſam ipſam tractandam comparatum. Et vt Ariſtoteles ſcripſit, exordia iudicialia ſimilia ſunt principijs dramatum, id eſt poematum, vbi poeta nihil loquitur, vt ſunt comœdiæ; & initijs epicorum, id eſt heroicorum, in quibus exordia futuræ orationis ſunt indicia; vt videatur qua de re dicendum ſit. Ac de exordijs trium generum hucuſque. Neque enim neceſſarium exiſtimamus, per hæc ſingula genera percurrendo, priuatim docere, quomodo in ſingulis, & in eorum partibus, ſiue formis, illa tria exordiorum munera ſupra explicata, præſtanda ſint; hoc eſt, indicare priuatos beneuolentiæ, attentionis, & docilitatis locos, cum illi communes ſuperius expoſiti, omnibus, vt ſupra dicebam, generibus, & generum partibus facile accommodari poſſint. Itaque, ſi rem aliquam demonſtrandam ſuſceperis, beneuolum attentumque auditorem facies, ſi rei dignitatem, præſtantiam, magnitudinem, raritatemq;

Lib. 2. orat. Li. 4. c. j.

indicabis: contraria dices, ſi quid vituperandum ſuſcipies. Si vero conſilium daturus veneris, rei neceſſitatem, vtilitatem, commoditatem, ac houeſtatem propones: contra ſi diſſuadere volueris. Nihil igitur eſt neceſſe in hac re ſine vtilitate diutius immorari, vt aliqui faciunt. Antequam autem ad alia cauſſarum genera progredior, vnum vel alterum ex Cicerone afferam exordium, vbi iſta munera animaduertere licebit. In cauſſa iudiciali dubia pro Cn. Plancio, Cum propter egregiam & ſingularem Cn. Plancij, &c. captatio beneuolentiæ a perſona eius pro quo agit: vbi rei continetur laus. Cum autem audirem, meos partim inimicos, &c. beneuolentia a perſona aduerſarij, vbi aduerſariorum continetur calumnia. Nunc autem, veſter, iudices, conſpectus, &c. beneuolentia ab auditorum perſona: vbi ſplendida continetur auditorum laus, &c. In genere deliberatiuo in Pompeiana. Tamen hoc aditu laudis, qui ſemper, &c captat beneuolentiam a ſua perſona. Itaque neque hic locus vacuus, &c. beneuolentia ab auditorum perſona. Atque illud mihi in primis, &c. beneuolentia a re ipſa. Dicendum enim de Cn. Pompei, & attentos facit. In genere demonſtratiuo, in ſecunda Antoniana, initium velet ad attentionem comparandam: poſtea tum ex

ſua,

ſua, tum ex aduerſarij perſona beneuolentiam captat, Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius, &c. Denique docilem facit, Ad certamen mecum voluit contentione dicendi, &c. Sed iam ad alia quæ reſtant genera pergamus.

Decimatertia poſitio, ſi genus cauſſæ ſit honeſtum, vel non eſt adhibendum exordium, vel ſi adhibetur, ſatis erit ſi rem, qua de verba facturi ſumus, propoſuerimus, eſſeque honeſtam breuiter indicauerimus. Hinc eſt quod Tullius in Pompeiana breue fecit exordium; quamuis ob cauſſæ honeſtatem exordio ſuperſedere potuiſſet.

Decimaquarta poſitio, ſi genus cauſſæ ſit turpe, aut admirabile, adhibendum erit exordium per inſinuationem, de qua proxima diſputatione diſſeruimus. Quare nihil eſt, cur in præſentia de hoc exordiendi genere aliquid repetamus.

Decimaquincta poſitio, ſi cauſa ſit dubia, hoc eſt, partim honeſtatem, partim turpitudinem præ ſe ferat, cuiuſmodi Miloniana eſſe videtur, vtendum erit exordio, in quo priuatim captanda erit beneuolentia per turpitudinis remotionem, merita & virtutes perſonæ narrando: vt in Planciana, Syllana, & Quintiana fecit Latinus Orator.

Decimaſexta poſitio, ſi cauſſæ genus ſit hu-

mile, hoc eſt, ſi de rebus agatur, quæ minoris videntur eſſe momenti, exordium ſpeciatim comparatur ad attentionem cōciliandam, rem Lib. 2. Georg. *ipſam attollendo: vt egregie de apibus acturus bonus fecit Poeta, cum cecinit,*

Protinus, aerij mellis cœleſtia dona
Exequar hanc etiam Mœcenas accipe partem.
Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum,
Magnanimoſque duces, &c.

Decimaſeptima poſitio, cum in re verſamur obſcura, id eſt, implicata, incerta, captuque difficili, danda opera erit, vt in exordio docilem reddamus auditorem: Quod qua ratione fieri debeat, ſuperius docuimus.

Laur. Palm. *Ad extremum huius diſputationis illud admonuerim, eſſe quoſdam, qui de exordio, quod vagum appellant, mentionem faciunt, hoc eſt, de præfatiunculis, quæ initio lectionum, diſputationum, breuiumque ſermonum ad animos conciliandos fieri ſolent; in quibus conficiendis, ſi de ſe aliquid dicere licet, in iuuenili ætate ego valdę delectabar; qua in re ita me gerebam, vt multorum gratiam mihi ſæpe conciliauerim, beneuolentiamque emeruerim. Debent huiuſmodi exordiola eſſe arguta, feſtiua, & adiunctis maxime accommoda: quorum*

nonnulla

nonnulla hic ponerē exempla, ni animaduerterem, præcepta de recta exordiendi ratione ſuperius explicata, poſſe etiam ad hoc exordiorum genus conficiendum facile accommodari. His igitur omiſſis, in ſuſcepta materia pergentes, quæ de exordio dicenda reſtant, abſoluamus. Sequitur igitur, vt poſtquam de natura partibus, generibus, officijs, rationeque exordiendi pro cauſſarum generibus diſſeruimus, vt de eius virtutibus, & vitijs aliquid ſcribamus.

De exordiorum virtutibus & vitijs. Diſputatio VII.

SI quæ hactenus de exordiorum natura, partibus, officijs, tum vniuerſe, tum priuate ſcripſimus, aliquis teneret, ad bona exordia texenda ſatis profecto eſſet inſtructus. Ceterum, cum dicendi magiſtri, non his contenti, quaſdam virtutes, & vitia in exordijs notauerint, de his etiam, ne quid omiſiſſe videamur, aliquid ſcribendum dizimus: & vt rem propoſitam in dubium reuocemus, contra communem Rhetorum hac in parte ſententiam, hunc in modum diſputo.

Primum, exordia tunc ſunt perfecta, cum

tria

tria præſtantur officia; aut illud ſaltem, quod cauſſæ genus maxime requirit: non igitur opus eſt alias obſeruare in exordio virtutes, aut notare vitia.

Deinde, tot debent eſſe exordiorum vitia, quot ſunt in eo conficiendo adhibenda munera, quæ tria ſunt: male igitur plura ab omnibus notantur.

Poſtea male, notatur illud vitium, cum dicitur, eſſe aliquod exordium vitioſum, quia eſt contra præcepta; cum omnia vitioſa exordia ſint contra præcepta: & illud etiam de longitudine, non videtur neceſſarium in vitijs exordij ponendum, cum longiores cauſſæ longa requirant exordia; vt eſt illud in oratione pro Sex. Roſcio. Quare hoc præceptum irrideret Ariſtoteles, vt illud de narrationis breuitate irridet. Adde etiam, quod aliquæ orationes cum virtute ſeparata recipiunt exordia, vt quæ in genere verſantur laudationis; male igitur ſeparata exordia in vitijs reponuntur; eædem apparata initia deſiderant, & tamen, apparatum exordium in vitijs ponitur.

Poſtremo, cum cognitis virtutibus cognoſcantur vitia, & contra, cognitis vitijs cognoſcantur virtutes; quid eſt neceſſe, vt ſeorſim de vitijs & virtutibus dicendi artifices plura ſcribant?

Quod attinet ad ſcriptorum opiniones, in hac de exordiorum virtutibus, & vitijs dubitatione, alij plures, alij pauciores virtutes recenſent: idem de vitijs dicas. Trapezuntius & quidam alij octo numerarunt vitia: Cicero, cui nonnulli ſubſcribunt, ſeptem: in quorum etiam enumeratione, & explicatione non nihil variant: ſed hæc accuratius proſequi nihil eſt neceſſe. Et cum in re plana, & manifeſta verſemur, nulla ponam fundamenta, ſed rem omnem quibuſdam poſitionibus, primum virtutes, deinde vitia demonſtrabo.

Prima poſitio, de Tullij ſententia huiuſmodi debet eſſe exordium, quale ipſe his verbis deſcripſit. Exordium ſententiarum, & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia quæ pertinent ad dignitatem, continere in ſe: propterea quod id optime faciendum eſt, quod Oratorem auditori maxime commendat. Splendoris & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum. Propterea quod ex his ſuſpicio quędam apparationis, atque artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maxime orationi fidem, Oratori adimit auctoritatem. Qua in re paſſim multos peccare videres, cum apparatiſſima faciunt exordia, & interdum perpetua allegoria, ſiue metaphora, quod nihil in eo qui de rebus grauibus & ſerijs agit, poteſt eſſe putidius. Et alio Libro 1. de Inu. Libro 2. orat.

in

in loco huiuſmodi requirit principia, Principia autem dicendi, cum accurata, & acuta, & inſtructa ſententijs, apta verbis; tum cauſſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio & commendatio orationis in principio; quæ continuo eum, qui audit permulcere, atque allicere debet. Vbi eos reprehendit, qui ita ad dicendum accedunt, vt quod primum verbum
In orat. *habituri ſint, neſciant. Item, ex eodem, Veſtibu*
ad Bru. *la nimirum honeſta, adituſque illuſtres: quod ſpeciatim de genere laudationis intelligendum eſt. Atque hæc ex M. Tullio de exordiorum virtutibus: quibus quædam alia non pœnitenda adſcribam. Eiuſmodi debent eſſe exordia, præſertim maiora, vt multis reſpirationibus, multiſque ſenſibus ſint referat. Initio quidem oratio prodit tranquille, pedetentim, ac moderate, abſque affectatione aliqua diligentiæ; tanquam acies in prælium tibijs claſſicum canentibus. Nihil enim eſt tam leue, atque ineruditum, quam ſtatim in principio, cum incertus adhuc de voluntate iudicum timere debeas, ludere tamen conſonantijs, & laſciuire numeris, aut obſolita verba, inſolentiaque tanquam bellica tormenta, in caſſum iactare. Suum eſt cuique tempus: quod exordium reſpuit, id narratio amplectetur: aut ſi narratio non excipit, excipiet epilogus: feretque occaſio locum exclamandi,*

mandi,cauſſam etiam relaxandi animum.Non vbique naſcitur aurum; nec ideo non effoditur, aut negligitur plumbum vbi reperitur. Habeat ergo protaſis longa continuataque membra cum immoratione. In ingreſſu autem ſermonis ea ſufficit expolitio, in qua primum nomina duplicantur, vel vtcunque multiplicantur,deinde verba, & poſtremo rationis confir mationes.Ex primo fit,vt cęſa multiplicentur, ex ſecundo membra, ex tertio periodi. In hoc principio,Si quis antea,iudices,mirabatur,&c. multa animaduertes nomina. In hoc verba, & membra,Etſi vereor, iudices, ne turpe ſit pro fortiſſimo, &c.ibidem, probationum continetur multitudo. Tamen hæc noui iudicij forma: Qui quocunque inciderint,Aetiologia.Rurſus, non enim confeſſus.Item non illa præſidia,&c. ſed tamen, vt ſępe monuimus, non eadem in omnibus cauſſis ſemper adhibenda eſt exordiendi ratio.Pro Marcello,nullam fecit protaſim, pro C. Rabirio totus fere eſt in prima ſen tentia, pro Cluentio incipit a partitione, Tullius. Illud etiam in proponendo cauendum eſt, ne ſtatim, & palam rem ipſam proponamus, vt Poetæ,& Hiſtorici interdum faciunt; neque enim orator diceret, Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus cum Iugurtha Rege Numidarum geſſit, &c. Verum Grego-

Pro Sex.

Pro Mi.

Saluſt.

rius

rius Nazianzenus ſanctitate, doctrina, & eloquentia illuſtris, aliquando hunc in modum
Ora. 18. *exorditus eſt, Athanaſium laudans, ipſam virtutẽ laudo. In principio itaq; non ſit recta, ſed*
Claud. Min. *deflexa propoſitionis promiſſio. In virtutibus exordij aliqui reponunt verecundiã, quę magis*
M. Nic. *in dicentis actione ſpectari uidetur, cum in principio, lenis & ſedatus eſſe debeat dicentis ſermo: qua de re his verbis Craſſus apud Ciceronem diſputat. Mihi qui optime dicunt, quique id facillime, atque ornatiſſime facere poſſunt: tamen ad dicendum, niſi timide accedunt, & quæ ibi ſequuntur. Illud hoc loco dixerim, Oratorem eo eſſe verecundiorem, quo doctior eſt,*
Lib. 1. orat. Aug. Valc. c. 47. *& eruditior. Propterea Marcus Tullius Oratorum eruditiſſimus, initio ſuarum orationum, cum præſertim res ipſa id poſcit, verecundię ſignificationem prębet: vt in Miloniana, Quintiana, & in oratione pro Deiotaro, & in ſecunda contra Rullum animaduertere licet. Et de Craſſo legimus, fuiſſe in eo mirificum quendam pudorem; qui tamen non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. Qui temere, & ſine vllo pudore ad dicendum accedunt, facile in dicendo excidunt, quod etiam viris grauiſſimis, & in dicendo exercitatis, aliquando contigit. Excidit in dicendo Demoſthenes in Senatu Ateni-*

nienſi

nienſi coram Phocione: Theophraſtus coram Alexandro Magno: Heraclitus ſophiſta coram ſeuero Imperatore: Herodes Atticus coram Antonino: & denique Hortenſius Ciceroni pro familiari reo dicenti, & Catilina, alias homo audaciſſimus, nihil reſponderunt. Difficile itaque eſt recte incipere, ob multas, & varias res, quas ſibi fingit animus, antequam dicat; ac proinde facile labitur, ni diligenter a memoria, & verecundia, ſuſtineatur. Verecunda igitur, & modeſta, ac leninis a principio fluat oratio. Nihil eſt in rerum natura omnium, quod ſe totum profundat, abunde eijciat, quodque totum repente euolet. Sic omnia, quæ fiunt, quęque aguntur acerrime, lenioribus principijs natura prætexuit. Venti, vel maximi, molliter exurgunt: nubes grauiſſimæ tenui vapore coguntur: modice immurmurat tonitruum, antequam fragoſos elidat ſonos: mare ante leuiter mouetur, quam ab imo conuulſum ad cælum torqueat fluctus: eodem modo oratio, quamuis contentioſa, & grauis futura ſit, tranquillo, lenique paulatim aſſurgit principio, non ſtatim initio tota ſe profundit. Cice. in Diuin.

Atque hæc de exordiorum virtutibus vniuerſe dicta ſufficiant; nunc de partibus, & ſpeciatim de propoſitione, & redditione, in tribus cauſſarum generibus, aliquid dicemus.

Secunda

Anton. Lul. *Secunda poſitio, protaſis in iudicijs debet eſſe lenta, grauis, quæ omni ex parte plenitudinem referat: In laudationibus contra, celerior, membris diſtincta, expreſſaque, cum quadam diligentia. In deliberationibus, breuis, dilucida, ſimplex, cum grauitate. Redditionis autem contraria eſt ratio: in iudiciali genere, cum breuis, tum elaborata erit, abſque vllis rationibus, aut acclamationibus. Generi demonſtratiuo conueniunt, acclamationes, diuiſiones, fictioneſque ex circunſtantijs ſumptæ; de quibus poſtea late diſputabitur. In conſilijs vero, niſi negocij obſcuritas partitionem requirat, tota fere ſequens oratio apodoſin exponit. Et licet in alijs generibus plura poſſint eſſe exordia, in hoc nonnunquam, vel vnum, eſt pluſquam ſatis, vt Lullus ſcribit. His expoſitis exordiorum virtutibus; nunc de vitijs agamus.*

Tertia poſitio, quæ ſint exordiorum vitia priuatim docere, neceſſarium fuit. Tum quia per hanc doctrinam aliæ quædam eorum virtutes apparent, & quæ expoſitæ ſunt melius cognoſcuntur: tum etiam, quod tunc melius aliquid cognoſcitur, cum exponitur, quam cum ſubintelligi uolumus. Quare, cum vitia, vel reijcienda, antequam ſeras; aut poſt herbationem runcanda ſint, omnina clare demonſtranda fuere. Ex quibus intelligeres, an bene ij de re

aliqua ſcribant, qui ſolum vitia fugienda proponunt, quid autem agendum ſit, non docent.

Quarta poſitio, vitioſa exordia hæc eſſe cenſentur: vulgare, quod in plures cauſſas poteſt accommodari, vt conuenire videatur: commune, quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem cauſſæ poteſt conuenire. Huic ſimile eſt illud, quod commutabile appellant, cum paucis commutatis, a contraria parte adhiberi poteſt. Longum, quod pluribus verbis, & ſententijs, vltra quam ſatis eſt producitur: quod corporis ſymmetriam tollit. Separatum, quod cauſſæ non cohæret, quod non eſt ex ipſa cauſſa ductum, & quaſi equinum caput humano collo affixum. Translatum, quod aliud conficit, quam cauſſæ genus poſtulat; & quod oportebat, non efficit, ac proinde, vel maxime dicentis imprudentiam arguit. Vt ſi captanda eſſet beneuolentia, et exordium totum in attentione comparanda verſaretur: vel ſi cum opus eſſet inſinuatione, adhiberetur principium. Poſtremo in vitioſis exordijs collocatur illud, quod dicitur eſſe contra præcepta; vt ſunt quæ nec beneuolum, nec attentum, neque docilem faciunt auditorem: Addunt aliqui, nimis magnificum, cum ſcilicet eſt nimis arrogans, & pompoſa, elataque propoſitio, cui illud ſubijci poſſit.

Cic. li. 1 de Inu. Heren. auc. li. 1.

Quid tanto dignum feret hic promiſſor
hiatu?

Quo fit, vt non approbetur illud Sillij principium:

Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit
Æneadum.

Atque loco hæc de exordij tractatio nobis finienda eſſet, niſi iuuandæ iuuentutis voluntas admoneret, vt de ratione exordiendi, qua hiſtorici, poetæ, & comici utuntur, aliquid dicamus. Hiſtoricorum exordiendi ratio ſimplex eſt, non ita varia, vt Oratorum: neque enim ſolent ex varijs locis initia ſumere, neque tam diligenter officia exordiorum præſtare; ſed ſatis ſuum munus expleuerint, ſi propoſita rerum de quibus acturi ſunt vtilitate, ad ſuas hiſtorias legendas homines cohortentur. Quę autem ad legendum inuitant, ſunt rerum ſcriptarum magnitudo, prȩſtantia, varietas, admirabilitas: in quibus proponendis præclare ſe geſſit in ſuis hiſtorijs Polybius: Saluſtius a materia potiſſime ſua ſumpſit exordia. Quod attinet ad poetas, Epici a quibus omnis poeſis originem duxit, breuiſſime, vel vno carmine, ſua proponunt exordia, vt in vtroque opere poetarum princeps fecit Homerus, quem poſteriores ſecuti ſunt. In exordio auxilium implorare ſolent idque etiam breuiter: propterea quibuſdam minus

nus placet illa longa multorum Deorum apud Virgilium in primo Georgicorum aduocatio; quamuis defenſione non careat: ſed nobis id vitandum, quibus fortaſſe defenſores pręſto non eſſent. In comędijs ſua neceſſaria ſunt procemia, quod iudicialibus controuerſiis ſint ſimiles; cum in illis priuatarum perſonarum ſint contentiones. Propterea adhibentur prologi, in quibus fere totius rei explicatur argumentum. Contra vero in tragœdijs, cum notiſſima Regum geſta referantur, idcirco non eſt ita opus procemio, vt apud Athenęum teſtatur Antiphanes comicus. Idem dicas de Lyricis carminibus, in quibus illuſtrium virorum res geſtæ, ſatis per ſe notæ laudantur. Denique ſatyricorum ſcriptores, cum ex quadam animi indignatione ad vitia reprehendenda prorumpant, nihil eſt neceſſe, vt aliquo vtantur exordio, in quo vel attentionem, vel beneuolentiam concilient. Sed de his hactenus reſtat, vt in contrarium allata ſoluantur argumenta. Athen. lib. 6.

Ad primum, illa tria munera, non ſatis bene preſtari in exordio poſſunt, niſi Orator adnotata vitia fugiat, virtuteſque ſequatur. Plura itaque Oratori cauenda, aut adhibenda ſunt, vt recte illis tribus, aut aliquo ex illis fungatur muneribus.

Ad ſecundum, facile hoc argumentum ex

ijs, quæ in tota hac diſputatione, & in reſponſione ad primum diximns diluitur.

Ad tertium concedimus, quidquid in exordio peccatum fuerit, eſſe contra artis præcepta: ſed tamen hanc appellationem priuatim ea exordia ſortita ſunt, quæ tria illa munera maxime in exordijs neceſſaria, non adhibent. Quo autem pacto, illud de longitudine ſit intelligendum, manifeſtum fiet ex ijs, quæ poſtea de narrationis breuitate ſcribemus. Nunc breuiter dixerim, ampliores cauſſas, longiora poſſe recipere exordia: ſed tamen ſemper ita debent eſſe contracta, vt cum reliquo corpore conuenientiam habeant. Vt ergo amplis ædibus magna veſtibula, paruis parua, aut nulla, mediocribus mediocria conueniunt; idem modus, decorumque idem ſeruandum eſt in orationum principijs.

Ad quartum, quo pacto, quod qnarto loco obijcitur, refelli poſſit, patet ex ijs, quæ diſputatione ſexta, poſitione quarta docuimus. Fatemur equidem cum omnibus dicendi Magiſtris in genere laudationis exordia extrinſecus petere licere: ſed tamen cum reliqua oratione ad extremum, & cum eo quod demonſtrandum ſuſcepimus, cohærere debent.

Ad vltimum, hoc argumentum parum vrget, & ex ijs, quæ paullo ſupra docuimus, nihil neceſſa-

neceſſario concludere, manifeſtius eſt, quam vt pluribus nunc demonſtrare ſit neceſſe.

De præparatione. Diſputatio VIII.

Exordij vi atque natura explicata, de narratione, quæ eſt ſecunda orationis pars nunc nobis ſermo habendus eſſet, niſi vtilitas moneret, vt de quadam alia minore, vel exordij, vel narrationis particula; qua de pauci ſunt qui ſcribant, prius ageremus. Cum itaque nuda rei in exordio ſimpliciter propoſitæ ſpecies, vel horridior, vel minus honeſta, ac non omnino idonea ad animos ad probationem quæ ex narratione & confirmatione pendet, comparandos interdum videri poſſit; ſolent artificioſi Oratores quandam narrationi; vel confirmationi, iam poſito exordio præponere particulam, in qua aliqua probationum ſpargunt ſemina; vt ni fidem, ſaltem ſuſpicionem gignant æquitatis; aut ea remoueant, quæ cauſæ obeſſe poſſunt; vel denique, vt plenius Iudicem, & auditorem docilem reddant. Huiuſmodi præludium Greci προέκθεσιν, *quaſi præcedentem expoſitionem, &* προπαρασκευὴν, *id eſt præparationem appellant: quamuis inter hæc duo nomina nonnihil diſcriminis, vt poſtea dicam, aſſignari ſoleat. Sed hoc loco obijceret nobis qui-*

ſpiam. Primum cur de hac parte ſcribere velimus, cum de ea meliores Rhetores nihil ſcripſerint? Deinde, videmur aliam orationis partem introducere, de qua ſupra nulla facta eſt mentio. Denique, hæc pars videtur eſſe eadem cum partitione, de qua tertio loco poſt narrationem diſputaturi ſumus fruſtra igitur hæc proponitur diſputatio. Quibus obiectionibus, quid reſpondendum ſit, ex iјs quæ ſubijciam fundamentis, in quibus huius particulæ explicabitur natura, facile patebit.

Primum fundamentum, cum certum ſit bonos Oratores, maxime in iudicialibus & maioris momenti cauſſis, poſt exordium, antequam ad narrandum aggrediantur, aliquam ſuæ orationis partem in eo conſumere; vt, vel rerum dicendarum capita proponant, idque non ſimpliciter, vt in exordio, & partitione fit, ſed etiam cum quadam ſignificatione veritatis defendendæ, ita vt vel fidem, vel ſuſpicionem aliquam gignant, vel ea quæ obſunt, aut obijci poſſunt, remoueant, idque interdum longiore oratione; hinc eſt, vt in quibuſdam orationibus quandam aliam particulam obſeruare liceat: quæ, vt rei capita, quaſi iterum exordiendo proponit, præcedens expoſitio; vt vero quæ ſunt obiecta, aut obijci poſſunt, remouet, præparatio nominatur. Proëtheſis exemplum habes

in oratione pro Roſcio Amerino, Forſitan, inquit Orator, quæritis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot & tales viros impediat, quominus pro capite, et fortunis alterius, quemadmodum conſueuerunt, cauſſam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum eſt: propterea quod conſulto ab accuſatioribus eius rei, quæ conflauit hoc iudicium, mentio facta non eſt. Quæ res ea eſt? Bona patris huiuſce Sextij Roſcij, quę ſunt ſexagies, & quæ ibi ſequuntur, vſque ad hæc verba. Atque vt facilius intelligere poſſitis, Iudices, ea quæ facta ſunt indigniora eſſe, quam quæ diximus ab initio, res quemadmodum geſta ſit, vrbis exponemus. Exemplum vero proparaſceues, ſeu præmunitionis habes in oratione ad Cęſarem pro Deiotaro, his verbis, Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam: qui cum videantur neque ingenio, neque vſu, atque exercitatione rerum valere: tamen ad hanc cauſſam non ſine aliqua ſpe, & cogitatione venerunt. Iratum te Regi, &c. Item in ſeptima Antoniana, ante confirmationem artificioſa ponitur prępmunitio: et in oratione pro Muręna eſt præmunitio quædam, ante partitionem collocata. His etiam verbis ſuam orationem apud Virgilium prępmuniuit Ilioneus, quam male confutationem an- Libro 1. Aen.

te narrationem Guarinus appellat:

Non nos, aut ferro Lybicos populare penates,

Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas:

Non ea vis animo, &c.

In Miloniana etiam quædam longior habetur præparatio per hypophoram, vt ſequenti planius docebitur fundamento.

Secundum fundamentum, duæ ſunt potiſſimæ cauſæ ob quas præmunitione vtendum eſt: altera, vt quæ nobis obeſſe poſſunt præoccupemus: altera ab ipſa cauſſa petita, quæ requirit, ut nonnulla ſpargamus argumentorum ſemina, quæ in tota oratione nobis profutura ſint: ſed interdum vtraque præmuniendi coniungitur neceſſitas. Vt autem præmunitionis neceſſitudo & quid a proecthesi differat intelligatur, animaduertendum eſt, duo eſſe quæſtionum genera: vnum quod Græci ἀναγκαῖον*, Latini, neceſſarium vocant: alterum, quod illi* προηγούμενον*, nos, antecedens appellamus. Illud, ideo, neceſſarium vocatur, quod vel ab aduerſa parte propoſitum ſit, vel proponi potuerit, cui ſemper occurrendum eſt, antequam ad cauſſæ noſtræ expoſitionem, aut probationem accedamus, idque per occupationem: hoc vero a nobis excogitatur, tanquam pro-*

batio nis

bationis fundamentum, quod aliqui σϖέχον, *continens, ſeu firmamentum appellant. Vtriuſque exemplum habes in Miloniana, vbi, ad probandum licuiſſe Miloni occidere Clodium, primum hanc antecedentem aſſert præmunitionem, Vim vi repellere licere; quod & exemplis, & rationibus confirmat, & ita tractat, vt non ſolum voluntaria, ſed etiam neceſſaria videatur quæſtio. Quærit ergo per hypophorã, liceat ne aliquando hominem occidere: qua re comprobata, facillime illam antecedentem quæſtionem probat, licere inuadẽtem occidere. Deinde, hac antecedente quæſtione confirmatas, tranſit ad aliud quæſtionis genus, quod neceſſarium appellari diximus, & per occupationem, primum Senatus decretum, quod Miloni obijciebatur refellit: deinde, id quod de necis magnitudine aduerſarij dicebant; quod non tam occupat, quam artificioſe eludit: poſtea, id remouet, vnde Clodiani inuidiam ipſi conflabant: denique, quæ cauſſam iuuare poterant ſemina, ad Quæſtorem conuerſus, ea ſpargit. Ex quibus facile intelligeres, quid præmunitio, ab occupatione differat. Et quoniam hæc quæ narrationem antecedunt per modum hypophoræ tractantur, de ea ſequenti fundamento paucis agemus, quæ etiam erunt vſui, cum de confutatione ſcribetur.*

Tertium

Tertium fundamentum, hypophora, ſeu prolepſis, & occupatio, vim magnam habet ad aduerſarium concutiendum, cum ijs, quæ in nos coniecit telis, nihil nobis nocere, aut ea nos nihil timere animaduertit: quo fit, vt etiam nobis audaciam tribuat. Conſtat autem hypophora his partibus; protaſi, hypophora, antiprotaſi, & antipophora. Protaſis, eſt hypophoræ denunciatio, vel quæſtionis propoſitio, vt in Miloniana, Sed antequam ad eam orationem veniam, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe refutanda, quæ in ſenatu ſæpe, &c. Verum non eſt neceſſe, vt ſemper pluribus verbis quæſtionem, ſeu hypophoram proponamus; cum, vel vno fieri poſſit verbo; vt ſi diceres, Dicunt aduerſarij, aiunt, opponerent, &c. Sequitur poſtea altera pars, quæ aduerſariorum ſententiam continet, vt, Non eſſe fas ei lucem intueri, qui hominem a ſe occiſum eſſe fateatur. Tertia pars in qua ponitur propoſitionis ſolutio, & ideo contraria poſitio nominatur; vt in eadem oratione, Non eſt autem difficile ipſorum refellere ſermonem hoc in loco: vbi confirmat ab exemplo. Hæc autem pars interdum omitti ſolet: vbi autem adhibetur, ab aliqua ſumitur circunſtantia, perſonæ, rei, loci, & temporis: eſt enim veluti paragraphe quædam a circunſtantijs ſumpta;

vel

vel a reprehenſione erroris aduerſarij: quo ſit, vt hac in parte pudore afficiatur aduerſarius. Quarta pars, antipophora vocatur, quæ hypophoræ ſolutionem continet, vbi argumenta ex varijs locis petita, & maxime ex contrarijs adhibentur, & fuſius tractatur: vt in eadem oratione, An eſt quiſquã, qui hoc ignoret, &c. Nec tamen ſemper idem ſeruatur in tractanda hypophora ductus, ſiue tractandi ratio: quoniam interdum prius reſpondetur, quam obijciatur, vt in Diuinatione fecit Tullius: interdum argumenta proponuntur ante quæſtionem, quod fieri ſolet, cum res eſt aſpera nimis, & inuidioſa. Protaſis ſæpe cum hypophora per interpoſitionem permiſcetur, aut ſequitur per ætiologiam: hic proſitio ſequitur hypophoram, At eo mors atrocior erit P. Clodij, quod is in monumentis maiorum ſuorum ſit interfectus; hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur. Hic inſeritur inficiationi, Neque vero, quod nonnulli dictitant, ſecreuit in iudicijs legendis amicos meos. Neque propoſitionis vna eſt forma; nam aliquando proponimus per ſcientiam; vt ſi diceres, ſcio, noui, video, quid hic dicturus ſit aduerſarius: aliquando per opinionem; vt dicerent fortaſſe aduerſarij, &c. aliquando per auditum; vt audiui ita eos dicere: quæ forma eſt omnium validiſſima, vt quæ maxime aduer-

ſario-

ſariorum dicta contemnere videtur : contra, prima debilis , tertia vero mediocris . Cauſſæ ob quas hypophoræ introducuntur variæ ſunt , quarum nonnullas in poſitionibus mox ſubijciendis, afferemus.

Prima poſitio, hæc pars quam communi nomine præparationem appellare poſſumus, non videtur eſſe eadem, cum illa, quæ partitio & propoſitio nominatur, quam nos tertiam facimus orationis partem. Hoc aſſeruerim , contra opinionem cuiuſdam ſcriptoris, qui hanc eandem eſſe putat cum illa ; aitque Græcos eã appellare, procataſceuen, proeſtheſin, ectheſin, epangelian , & hypoſcheſin, affertq; exemplum partitionis Quintianæ , & orationis pro Murena: noſtra autem opinio his rationibus cõfirmari poteſt.

Na. Cõ. lib. 5. c. 11 d rer. rhet.

Primum, quia hęc pars non eſt ſpeciatim inſtituta ad partiendum, diſtribuendumue, ſed ad præmuniendum , ad aliquid per occupationem refellendum, & ad aliquam fidem, vel ſuſpicionem faciendam, vt patet ex Tullianis præparationibus ſuperius allatis. Deinde, quoniam hoc præludium ſemper ſequitur exordium , & narrationem antecedit : propoſitio vero , ſeu partitio, vbi adeſt narratio , narrationi potiſſimum ſubijcitur . Poſtremo hæc non ſolet recenſeri inter primas & maiores

oratio-

orationis partes, ſicut propoſitio, vt poſtea planius docebitur.

Secunda poſitio, præparatio non videtur reponenda in maioribus partibus orationis, ſed, vel erit appendix quædam exordij, vel ingreſſus, ſeu veſtibulum in narrationem, probationemue. Hæc poſitio hac vna confirmatur ratione; quia optime, vel ad exordium, vel ad narrationem, veluti quædam minor pars refertur: vt omittam, quod nemo in hoc numero eam poſuit.

Tertia poſitio, præparationis cauſſæ hæ eſſe videntur. Prima vt argumentorum ſemina quædam ſpargamus, & aliquam fidem faciamus, ac magis docilem auditorem habeamus: altera, vt quæ cauſſę obeſſe poſſunt refellamus, quod per hypophoram fieri potiſſimum ſolet: illa proecthcſis, id eſt præcedens expoſitio, hæc præmunitio ſpeciatim vocatur: illa eſt veluti voluntaria præparatio, hæc vera neceſſaria: illa ab artifice tanquam probationis fundamentum excogitatur, & affertur, hæc a re ipſa naſcitur; cum quæ dici poſſunt, aut quæ dicta ſunt remouentur.

Quarta poſitio, hypophoræ, ſeu occupationis cauſſæ variæ ſunt; ex quibus vnam, vel alteram hic recenſebo. Primum, ideo interdum adhibetur, vt antecedens tractetur queſtio: deinde,

inde, vt quæ nobis obeſſe poſſunt, vel quę ab aduerſa parte dicuntur, refellantur: deinde, vt aduerſarij propoſitionem in noſtram vtilitatem conuertamus: deinde, vt hac rationem gradatim ad noſtram cauſam accedamus: & denique, nonnullis alijs de cauſſis, quas perſequi nihil eſt neceſſe. Quæ autem ſint eius partes, qui ductus, ſiue tractandi ratio, ſupra explicuimus.

Quod dicendum reſtat, illud eſt, vt obiectiones in principio poſitę diſſoluantur. De prima, primum ſatis nobis eſt hanc partem in orationibus optimorum oratorum reperiri, & quod interdum omnino reperiri debeat: deinde falſum eſt, neminem de ea feciſſe mentionem: & quæ de ea nos ſcripſimus, non ex nobis finximus: de qua nihil nos initio diximus, quod ibi de partibus maioribus, & illuſtrioribus ageremus. Quid autem ad ſecundam, & tertiam obiectionem dicendum ſit, ſatis ex ijs, quæ explicata ſunt apparet. Atque ex ijs colligere licet, quantum errent ij, qui hanc partem, confutationem appellant; dicuntque confutationem interdum præponi narrationi: cum confutatio, & natura & loco, ſit ab hac parte diuerſa. Sed iam ſit huic diſputationi finis.

An narratio ſit orationis pars, deque eius natura, & partibus. Diſputatio IX.

QVæ de prima orationis parte a dicendi magiſtris tradi conſueuere, ea ſuperioribus diſputationibus copioſe perſpicueque expoſuimus: ſequitur ergo, vt ad ſecundam explicandam tranſitum faciamus: de qua hac methodo diſputaturi ſumus. Primum eius naturam, hac propoſita quæſtione, enucleare conabimur: deinde de recta narrandi ratione agemus: poſtea de narrationis virtutibus: poſtremo de digreſſione, quæ eſt veluti narratio quædam, diſputabimus. Quod autem ad præſentem diſceptationem attinet, vt rem apud omnes huius artis magiſtros exploratam in dubium reuocem, aliquot proponam rationes, quibus narrationem a partibus orationis remouendam eſſe demonſtrabo.

Primum, narratio in oratoria dictione omnino extrinſecus aduenit, & non excogitatur ab Oratore; non pertinebit igitur ad oratoriam inuentionem, cum non ſit per artem inuenta, ſed extrinſecus adſcita.

Deinde, in duobus cauſſarum generibus, nimirum in deliberatiuo, & demonſtratiuo, nulla neceſſa-

neceſſario requiritur narratio, in iudiciali ſæpius nulla, aut ſi requiritur, eſt potius quædã rei confirmatio, aut propoſitio: quare, vel non eſt in partibus ponenda, aut non tanquam ab alijs diſtincta, numeranda Quæ ratio hoc pacto confirmari poteſt: narratio non habet certum in oratione locum, ſed per totam orationem debet eſſe diſtributa, non continua, vt Ariſtoteles præcipit: igitur.

Præterea, narratio eſt maximè propria ſcriptori hiſtoriarum: non igitur erit Rhetoricæ orationis pars: propoſitum patet ex ipſius narrationis definitione, qua dicitur, eſſe rerum geſtarum, aut vt geſtarum expoſitio: quæ ſane deſcriptio hiſtoricæ quadrat narrationi.

Lib. 3. cap. 14. *Poſtremo, vt quaſdam alias omittam dubitandi rationes, irriſit Ariſtoteles eos, qui narrationem in partibus ponendam eſſe exiſtimarunt: & ſi hi a tanto dicendi magiſtro iure irriſi fuere, cur etiam ipſum irridere alijs non licebit, cum de narratione, tanquam de vna præcipua orationis parte, præcepta tradiderit?* Lib. 3. cap. 16.

In hac propoſita difficultate, hæ occurrunt dubitationes, quæ nobis dilucidandæ erunt. Prima, an narratio ſit orationis pars, de qua rē duas poſſumus notare ſententias. Vnam eorum, qui ita volunt eſſe partem, vt in omni

ni cauſſarum genere, immo etiam in omni oratione adhibendam eſſe putent: qua in opinione qui ſunt, meo quidem iudicio, pueriliter errant: cum etiam pueri exiſtiment ſe nunquam perfectam poſſe texere orationem, niſi etiam narrationem adſuant. Alteram aliorum, qui contra ſentiunt, in quibus eſt Ariſtoteles, qui in ſolo iudiciali genere partis locum retinere exiſtimauit.

Deinde poteſt eſſe, & eſt dubitatio de loco, vbi ponenda ſit, an ſemper ſtatim poſt exordium, vt quidam arbitrantur: an vero alio etiam in loco, vt Quinctiliano, & alijs placet.

Rurſus dubitari ſolet, an vlla ſit narratio neceſſaria, cum factum negatur, quod Cornelius Celſus negat, cui repugnat Fabius.

Præterea, in eo etiam aliqua eſt dubitatio, an in narratione vtendum ſit probationibus, & argumentis, & an ſint mouendi affectus, quod Ariſtoteles, Cicero, & Fabius affirmare videntur, cum tamen alij negent. Atque hæc ſunt fere, quæ hic dubitationem habent.

De re propoſita legendus eſt Ariſtoteles libro tertio capite decimoſexto, Auctor Herennianus libro primo, Tullius in priore de inuentione, & in altero oratorio, Fabius libro quarto, capite ſecundo, Aphthonius in ſuis progym-

naſmatis, Chirius libro ſecundo, Trapezuntius, libro primo, & Lullus. Vt autem rei propoſitę, & allatis dubitationibus ſatisfacere poſſimus, quędam nobis ponenda ſunt fundamenta.

Primum fundamentum, narratio, quæ & demonſtratio, & cauſſæ expoſitio dicitur, duobus modis ſumi poteſt, primo pro ſimplici alicuius rei relatione; vt ſi quis referret factum eſſe pręlium, habitos eſſe ludos: qui quidem omnem rem renunciaret, ſed eam non exponeret: altero modo pro alicuius rei expoſitione, quæ non poteſt niſi pluribus verbis fieri. Hæc rurſus duplex eſt, altera cum natura alicuius rei per eius partes, & proprietates explicatur, & oculis ſubijcitur, quæ potius deſcriptio, quam narratio dicenda eſt: altera, qua factum aliquod, & id quod geſtum eſt, aut geſtum fingitur exponitur, & de narratione hoc pacto ſumpta hic eſt nobis habendus ſermo; quæ varie deſcribi conſueuit. A Cornificio, ſeu ab Herẽniano auctore, & a Tullio locis citatis hoc pacto, Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde vt geſtarum expoſitio. Quæ deſcriptio omnia videtur complecti narrationum genera, veluti hiſtoriarum, negociorum ciuilium, comœdiarum, & fabularum argumenta ac themata: quo tamen narrationis genere interdum Oratores vtuntur, cuius partes paullo

Cæſar. tract. 4. Pe. Gũt. lib. 1. capit. 36.

poſt

poſt explicabimus. Alio itaque pacto definiri ſolet, vt proxime ad Oratorem pertinet, Narratio eſt cauſſæ, vel rerum ad cauſſam pertinẽtium expoſitio. Vel, vt Quinctiliano placet, eſt rei factæ, aut vt factæ vtilis ad perſuadendum expoſitio. Vel, vt Apollodorus finiuit, eſt oratio docens auditorem, quid in controuerſia ſit: vnde in genere iudiciali cui eſt maxime propria, Narratio eſt negocij, vel rei, de qua iudex pronunciaturus eſt, indicatio: Non quidem ſimplex expoſitio, indicatioue, ſed argumentoſa, & quaſi totius controuerſiæ ſeminarium. Denique ſatis idonea eſt illa deſcriptio, quam in partitionibus tradidit Tullius, vbi melius, quam vllo alio in loco artem dicendi docuit; Narratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei. Vel breuius eſt, τῦ πράγματος ἐκ'θεσις, *id eſt cauſſæ ſeu negocij expoſitio. Atque ex his deſcriptionibus huius partis natura ſatis aperte cernitur: in quarum explicatione immorari nolo, cum ſint per ſe ſatis manifeſtæ, quam rurſus hunc in modum deſcriberes, Narratio eſt pars orationis, in qua factum ad confirmandum, ac perſuadendum idonee explicatur.*

Secundum fundamentum, in narratione, vt & in alijs orationis partibus poſſumus; & ma-

 teriam,

teriam, & formam partes, ſpecies eiuſque accidentia animaduertere. Materia, ſunt res, factum, locus, tempus, modus, & cauſſa: quo referres etiam, antecedentia, quæ præceſſerunt, & conſequentia, quæ ſubſecuta ſunt factum. Forma conſiſtit in narrandi modo, ac tractatione, dum rem omnem a principio, vſq; ad finem ac etiam antecedentia & conſequentia, dicta, facta, & cauſſas certa quadam ratione ad fidem faciendam accommodata, exponimus: quæ omnia in Miloniana narratione facile eſt animaduertere, vt planius dicetur poſtea. Quod attinet ad partes, Hermogenes duas maiorum narrationum partes fecit: alteram, quam procataſtaſin vocat, quæ nihil aliud eſt, quam quidam narrationis aditus, & quaſi præparatio, & ante gradiens propoſitio: altera, quę dicitur expoſitio, narratio nimirum ipſa: quę duę partes loco, & rebus differunt. Illa enim tanquam veſtibulum pręcedit, hęc vero conſequitur: illa præparat ad narrationem, hęc vero narrat, & plene planeque rem ipſam exponit: illa antiquiora, & priora continet, hęc vero poſteriora. Narrationis itaq; maioris initium a rebus magis vniuerſalibus, & communibus ſumitur; vt ad res priuatas, quæ in ipſa narratione exponendę ſunt, deueniatur. Hoc artificium obſeruare

licet

licet in artificioſiſſima illa Sinonis apud Virgilium oratione, quam ad Troianos habuit. Non enim ab ipſo Græcorum diſceſſu, ſed longius ſuæ narrationis initium repetiuit. Lib. 2. Aen.

Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures.
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria, quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem infando iudicio, &c.

Idem obſeruares in ea, quam pro Archia Tullius habuit oratione; vbi non a profectione Archiæ cum Lucullo in Siciliam, & ab eo tempore, cum in Heracleam ciuitatem adſcriptus eſt, quod ad rem pertinebat; ſed inde, Nam vt primum ex pueris exceſſit Archias, & quæ ibi ſequuntur. Quando autem deeſſet materia ad procataſtaſin conficiendam, præteritione vti poſſemus, hoc modo, Etſi auditores habeo, quæ de ante acta huius hominis vita dicere late poſſem; tamen, ne multa narrando vobis faſtidium creem, ab eo, quod proxime ad rem pertinet, initium capiam. Ceterum, hæc præteritio debet eſſe acris, & vehemens. Fit igitur procataſtaſis, vel rei propoſitione, vel eorum, quæ euenerunt, & anteceſſerunt, aut euenire potuerunt enumeratione. Poſſes etiam in narrationibus aliam tertiam partem

adnotare, concluſionem nimirum ipſam, & quaſi terminum, & clauſulam narrationis. Et hæc de partibus, ſequenti fundamento de ſpeciebus dicemus.

Cic. li. j. de Inu. Auctor Heren. *Tertium fundamentum, narratio vniuerſe ſumpta in tria genera diuidi ſolet: vnum genus eſt, quo ipſa cauſſa, & res ad eam maxime pertinentes exponuntur. Alterum eſt egreſſio, vel digreſſio, quæ in confirmatione & confutatione nonnunquam intercurrit; de qua narrandi ratione poſtea priuatim diſputabitur, eiuſque conficiendæ cauſſæ numerabuntur. Tertium genus eſt, quod a cauſſa ciuili eſt remotum, quod tantum exercitationis gratia nonnunquam ſuſcipitur, & inſtituitur. Huius duo ſunt genera: vnum quod in negocijs, alterum quod in perſonis poſitum eſt. Illi tres aſſignantur partes, fabula, in qua nec veræ, nec veriſimiles res continentur, cuiuſmodi ſunt Aeſopi, & Gabriæ narrationes in ſuis apologis: hiſtoria, quæ eſt rei geſtæ, vt geſta eſt, expoſitio: & argumentum, fictæ videlicet rei, quæ tamen vere fieri potuit, narratio; vt ſunt Comicorum & Tragœdorum narrationes. Ea quę in perſonis verſatur narratio, eſt veluti quidam dialogiſmus, in quo cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſunt: vt* Act. 1. Scen. 1. *eſt apud Terentium in Adelphis. Venit ſæpe*

ad

ad me clamitans, quid ais Mitio? Cur perdis adoleſcentem nobis? &c. Huius generis eſt apud eundem, illa Simonis ad Soſiam de filij vita pulcherrima expoſitio. Et licet huiuſmodi narrationes ad Oratorem non pertineant: tamen in eis conficiendis ſe exercere non eſſet inutile; cum earum aliqua, aliquando vſui eſſe poſſit. Alij vero hanc diuiſionem quadrimembrem faciunt, dum narrationem in fabularem, fictilem, hiſtoricam, & ciuilem, hoc eſt oratoriam, de qua ſtatim dicam, diuidunt. Rurſus itaque narrationem diuideres in oratoriam & hiſtoricam; quę non parum inter ſe differunt: illa ſolam rei veritatem ſpectat, hęc veritatem ad perſuadendum accommodatam: illa non debet eſſe argumentoſa, hęc vero maxime: illa rem totam a principio vſque ad finem ſemper proſequitur, hæc vero ſolum ea attingit, quę ad cauſſam pertinent. Hæ igitur, & alię inter has narrandi formas aſſignari differentię poſſunt. Oratoriam narrationem, quidam ſubdiuidunt iuxta tria cauſſarum genera, quod alia ſit demonſtratiui, alia deliberatiui, alia iudicialis generis, quamuis in deliberatiuo nulla proprie intercedat narratio. Alij his duabus partibus addunt narrationem poeticam voluptatis cauſſa comparatam. Poſſes etiam a rebus ipſis quæ narrantur varie hanc partem di-

In And. Act. 1. Scen. 1.

Aphth. Priſc.

uidere, ſed quę a materia ſumuntur diuiſiones, probari non ſolent.

At vero Hermogenes, a narrandi forma, tres fecit narrationis ſpecies. Alia enim eſt narratio ſimplex, in qua res factumque ſimpliciter exponitur: quę nullas recipit illuſtrationes, & ſuffigurationes: quę nullas rei cauſſas & conſilia nulla exprimit; ſed ſolum id prę ſtat, vt res intelligatur: vt eſt illa quę in Miloniana habetur oratione. Milo autem cum in Senatu fuiſſet eo die, &c. Alia probabilis, quæ dum, & modum narrat, & rationem reddit, rem probabilem demonſtrat: qua narrandi forma in cauſſis dubijs vtimur: cum non ſolum conamur oſtendere rem factam eſſe, ſed etiam cur facta ſit rationes reddimus; cuius finis eſt fides. Ad quam formam Quintianam reuocares narrationem: hanc aliqui argumentoſam vocant, vt eſt illa in Miloniana, Interim cum ſciret Clodius, &c. vbi argumenta, & argumentorũ occupationes, & confirmationes obſeruares: Alia illuſtris, quæ rem ob oculos ponit: dum non ſolum facti expoſitionem, ſed & modum, conſilia, conſiderationes, & cauſſas exponit: quę eſt virilis & lacertoſa: quę aduerſarium vrget, & iudices impellit: cuius finis non ſolum eſt docere, ſed etiam commouere: quam aliqui apparatam, & inſtructam appellant.

pellant. Huiuſmodi apparatum in Miloniana obſeruares narratione in fine, cum dicitur, Atque profectus eſt, &c. vbi ita exornatur, & pingitur factum, vt quaſi oculis cernatur. Huius generis ſunt nonnullæ aliȩ narrationes in Verrinis, & illa quȩ in Archiana eſt oratione: talis etiam fere eſt tota narratio de inceſtu matris Cluentij.

Alij hanc narrationis diuiſionem ita exponunt: narratio duplex eſt, altera ſimplex, altera comparata, grȩce diaſceuos: hæc duplex, vna quæ argumentoſa, altera quæ inſtructa, & apparata dicitur, illuſtris nimirum, admirabilis narrandi forma; vbi prȩter ea quȩ diximus, proſopopȩiæ, apoſtrophȩ, excurſiones, diuiſiones, fictiones, & exclamationes adhibentur. Quæ primum accuratam, luculentam, redundantemque cauſſæ expoſitionem varijs ſententiarum ornamentis tinctam habet: deinde exioſin, id eſt dignitatem, dicentis nimirum ſententiam, atque iudicium, & calculum, & axioſis cauſſam: vt in Cluentiana hȩc axioſis per exclamationem, O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum: vbi additur cauſſa, Non timuiſſe, ſi minus vim Deorum, hominumque famam, &c. Interdum ſola ſufficit acclamatio, vt in Miloniana, Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos, &c. Verum dignitas

gnitas hæc, ſeu hoc pronunciatum, plerunque exclamatione fit: vt pro Roſcio Amerino, Quid primum quærar? &c. additur cauſſa, Pater occiſus nefarie, &c.

Atque illud etiam adnotauerim in vna & eadem narratione, & ſimplicem, & illuſtrem formam reperiri; vt in Miloniana narratione plane obſeruare licet, & ex ijs quæ diximus manifeſtum eſt. Illa extenuatã orationem, hæc exageratam & amplam requirit. Primum ex illis tribus generibus, Oratoris ingenium ſimplex, ſecundum acutum, tertium diſertum & eloquens demonſtrat.

Denique, ſunt qui narrationem diuidant in periodicam, vt ſunt illæ, quæ periodorum vinculis ſunt adſtrictæ; vt eſt illa de morte Hortenſii apud Ciceronem in Bruto, Cum e Cilicia
Act.4.in Ver.& 6 *decedens Rhodum veniſſem, &c. & in eã quæ*
Libro 1. *liberior eſt, & fluuij inſtar leniter fluit: vt eſt*
epiſt. 1. *apud Tullium narratio caſus Philodami, &*
& 2. *narratio de Cerere, & Proſerpina: & multæ*
Libro 4. 12. *aliæ apud eundem in epiſtolis, & apud Teren-*
In eun. *tium. Sed de narrationis diuiſionibus ha-*
act.c. 1. *ctenus.*
ſce.2.

Poſtremum fundamentum, cum de partibus orationis, quod alias etiam adnotauimus aliqua fit dubitatio, ea duobus modis intelligi poteſt; primo abſolute & ſimpliciter, ita vt

ſine

ſine ea de qua quæritur parte, oratio conſiſtere non queat: altero, ratione auditoris, & ſubiectæ materiæ, de qua agitur: ex qua conſideratione plures in oratione interdum requiruntur partes: ſimiliter difficultas intelligi poteſt, vel de oratione vniuerſe, vel de aliqua oratione priuate, vt in ipſis poſitionibus planius explicabitur, quas his adnotatis, ſtatim ſubijciam.

Prima poſitio, ſi oratio ſimpliciter, & abſolute conſideretur, non requirit neceſſario narrationem: quare narratio, ſimpliciter loquendo, non eſt omnino neceſſaria orationis pars. Doctrina eſt Ariſtotelis; & patet ex ijs, quæ vniuerſe de partibus orationis diſſeruimus; & experientia ipſa idem confirmat, cum optime ſine vlla narratione fiant orationes.

Secunda poſitio, ſi vniuerſe de toto orationum genere loquamur, & de oratione ad auditores & cauſſas quæ aguntur relata, narratio eſt inter alias orationis partes recenſenda.

Primum manifeſta eſt hęc poſitio ex communi, tum veterum, tum recentiorum Rhetorum ſententia, quę narrationem in partibus orationis ponit. Deinde, quoniam ſunt multæ orationes, quę ſine narratione nullo modo conſiſtere poſſunt; vt patet in orationibus iudicialis generis, in quibus narratio, & ab exordio, & a confirmatione, propoſitioneque,

tanquam

tanquam quoddam precipuum orationis membrum ſeiungitur; erit igitur pars, & quidem vna ex maioribus. Poſtremo, idem confirmatur argumento a ſimili, de quibuſdam grammaticæ partibus, quæ vt non in omni oratione ponuntur, ita in quibuſdam neceſſario poni debent; vt exempli gratia, interiectiones, & coniunctiones, quæ, vniuerſe loquendo, grammaticæ partes cenſentur, idem de narratione dicas.

Tertia poſitio, in ſolo iudiciali genere narratio ponitur tanquam pars ab alijs distincta. Doctrina eſt Ariſtotelis, cui ab omnibus neceſſario ſubſcribendum eſt. Nam, cum narratio ſit orationis pars, vt eſt demonſtratum, & in genus deliberatiuum, cum ſit de rebus futuris, nulla ex rei natura cadat narratio, quæ eſt rerum præteritarum expoſitio, & laudationis genus, vt ſtatim dicam, in perpetua quadam rerum, quę laudantur expoſitione cum amplificatione coniuncta, conſiſtat, ſequitur profecto, vt in ſola iudiciali cauſſa partis locum obtineat.

Quarta poſitio, in genere demonſtratiuo, non eſt aliqua perpetua, & integra ſimulque expoſita narratio, ſed in plures partes diſſecta; dum res ſingulæ ſeorſim numerantur (ſi plura ſint quæ laudanda ſuſcipiuntur) ac ſimul quæ & quantę ſint amplificata narratione oſtenditur.

tur. Conficitur itaque hoc dicendi genus expoſitione, & amplificatione rerum geſtarum perpetua. Quod hoc loco docemus, docet in primis Ariſtoteles, a cuius doctrina non diſcrepauit Tullius, cum hunc in modum ſcripſit, Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendiſque factis, ſine vllis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate. Adde etiam, quod ſi alicuius facta perpetua, oratione narrarentur, oratio nullam haberet delectationem, ſuauitatem nullam; & quę dicerentur facile memoria effluerent, omni denique careret artificio. Hanc doctrinam obſeruare licet in bonorum Oratorum laudationibus, vt in encomio Helenę apud Iſocratem, in Pompeiana apud M. Tullium, ubi quaſdam Pompei virtutes ſeorſim numerat, & exponit Orator. In Part.

Quincta poſitio, minor narratio commode in duas diuiditur partes, in expoſitionem, & rei expoſitæ concluſionem, qua ad confirmationem fiet tranſitus: in maioribus autem aliam agnoſcere partem licet, videlicet procataſtaſin, ſeu προδιήγησιν, *id eſt præcedentem narrationem. Quæ pars in iјs ſolet priuatim adhiberi orationibus, in quibus a narratione exordimur. Ita fecit Tullius in prima Philippica, vbi*

cum

cum Patres eſſent ad audiendum parati, nullo vſus eſt exordio, ſed a narratione auſpicatus eſt, cui per temporis diuiſionem veſtibulum fecit.

Sexta poſitio, quod attinet ad narrationis ſpecies, ſiue partes, eæ admitti diuiſiones poſſunt, quas ſupra in tertio explicuimus fundamento: quibus ex Quinctiliano hanc aliam adderes: narratio alia eſt tota noſtra, alia tota aduerſarij, & alia miſta. Conſultus vero octo fecit narrationis ſpecies, quarum explicationem, cum earum cognitio ſit parum vtilis, libens prætermitto: eas qui cognoſcere cupit, citatum auctorem conſulat.

Septima poſitio, narratio non ſolum eſt neceſſaria cum factum exponi debet, ſed etiam quando factum negatur. Ita docet Quinctilianus contra Celſum.

Primum quia defenſor eget expoſitione contraria: vt, ſi aduerſarius narraſſet quo loco & tempore crimen factum fuiſſet, & defenſor exponeret eo tempore reum alibi fuiſſe. Deinde, quia eſto non narretur factum, poſſunt tamen narrari ea, quæ rem non factam fuiſſe demonſtrent.

Octaua poſitio, narratio ex ſe ſuaque natura ſequitur exordium: De ea loquor narratione, quæ tanquam pars cauſſæ ponitur, non de

ea

ea quæ per digreſſionem interponi conſueuit. Siquidem narratio eſt veluti quædam perpetua cauſſæ propoſitio, & vt patet ex deſcriptionibus, quaſi confirmationis fundamentum, eam igitur pręcedat oportet. Et quoniam partitio ex rebus narratis conflari ſolet, eam quoque anteibit narratio.

Nona poſitio, interdum ante narrationem, cum cauſſa id poſtulat, pręmittenda eſt aliqua præmunitio, de qua ſupra ſcripſimus Ariſtotelęum eſt præceptum, obſeruatum a M. Tullio in artificioſiſſima pro T. Annio oratione: vbi ante narrationem tria confutauit præiudicia. Idem in ea, quam habuit pro Lucio Muręna, & in alijs, vt diſputatione ſexta ſcripſimus. Vbi eos errare diceres, quod etiam ſupra admonuimus, qui arbitrantur narrationem interdum poſt confirmationem locari, quod eſt omnino a ratione alienum: cum nullo pacto fieri poſſit, vt id confirmemus, quod prius non fuerit in narratione explicatum. Quare confirmationes, aut confutationes illæ, quæ narrationem præcurrere interdum ſolent, pertinent potius ad exordium, vel præparationem, cum iudicis animum ad cauſſam noſtram audiendam præparent: ceterum, ſi plura crimina tractanda ſint, ſolent Oratores illa particulatim narrare, & accuſare, vt Cicero in Verrinis fecit. Quo

fit,

ſit, vt narratio interdum non ſit a confutatione diſtincta; vt ſtatim dicam.

Decima poſitio, narratio interdum non debet eſſe a confirmatione diſiuncta, ſed ex vtraque vna eſt conficienda pars. Id autem fit, cum res ſunt eiuſmodi, quę ſi ſeorſim exponerentur, audientium animos offenderent. Id in Cluentiana, & Syllana oratione obſeruauit Tullius.

Vndecima poſitio, quamuis narratio ſit generis iudicialis propria, interdum tamen nulla in eo neceſſaria eſt narratio. Ita Ariſtoteles & Quinctilianus tradunt. Tempora autem in quibus hoc genus expoſitionem reſpuit, ſunt fere iſta.

Pe.Gun. *Primum cum cauſſa eſt breuis; tunc enim ſola ſufficit propoſitio: deinde, cum de re conſtat, et de ſolo iure quęritur vt; ſi quęratur quo nomine res appellanda ſit: poſtremo, cum res ab aduerſario expoſita fuerit; ſi tamen res aliter narranda non ſit.*

Duodecima poſitio, narratio quę cauſſę ſtatum aperit, videtur eſſe magis propria accuſatori, quam defenſori, licet defenſor quoque aliquando narrare poſſit, vt in Miloniana fecit Tullius.

Decimatertia poſitio, narratio, pręter definitiones ſuperius allatas, quæ ſatis conuenienter

ter traditę ſunt, hunc in modum deſcribi poteſt. Narratio eſt pars orationis, quę cauſſam, & quę ad cauſſam pertinent accommodate ad confirmationem exponit. Dicimus accommodate, vt narrandi formam inſinuemus, de qua conſequenti diſputatione agemus, ſi prius argumenta, ſupra allata diſſoluerimus.

Primum hoc pacto dilueres, non propterea quod narratio non excogitatur ab Oratore, ſequitur non eſſe orationis partem; cum ſit veluti eius pectus, cauſamque contineat: ſicuti, ſi quę eſſet confirmatio tota petita a locis, qui arte carere dicuntur, non propterea a partium numero excluderetur. Pertinet etiam ad inuentionem oratoriam, ratione attributorum, & eorum, quę narrando ad fidem faciendam inuenienda ſunt.

Secundum qua ratione ſolui poſſit, ſatis patet ex dictis: ſatis enim eſt, vt in aliquo orationis genere ſit pars, & quidem pręcipua. Quod non habeat certum locum, ſi de primaria narratione loquamur, falſum eſt: neque eſt per totam orationem fuſa, niſi in demonſtratiuo genere.

Tertium, aperte ſoluitur ex tertio fundamento, cum alia ſit narratio hiſtorica, ab oratoria, vt demonſtratum eſt.

Poſtremum quoq; ex dictis facile diluitur;

docuimus enim quo pacto Ariſtotelis ſententia accipienda ſit: intelligitur ergo de narratione comparata ad orationem vniuerſe, & ex ſe conſideratam.

De forma, & methodo, ſeu de recta narrandi ratione. Diſputatio X.

DE narrationis forma diſputaturus, duas tantum dubitandi rationes afferam, quæ ad hunc locum pertinere videntur; quarum altera eſt, an in narrando probationibus vti debeamus, & quod vti non liceat, hæc ſuadere videtur ratio, Rodol. *Quoniam oratio in duas diſtribui partes ſolet; in eam quæ exponit, & in eam quæ confirmat: cum igitur confirmatio, & expoſitio ſint duæ orationis partes, vna cum altera permiſceri non poterit: quare dum narramus, nullis rationibus vti poterimus. Altera vero, de motu, an ita ſit narrandum, vt motum aliquem in auditorum animus efficiamus; et quod non liceat, ex eo probari poteſt, quod hæc pars tota comparata ſit ad docendum; docere autem eſt munus omnino diſtinctum a mouendo: & M. Tullius non ſemel ſcripſit, motum tantum in* Lib. 2. orat. *exordio, & epilogo adhibendum eſſe. Nunc quoniam, nullum hic nobis ponendum eſt fundamentum,*

damentum, ad ipſas poſitiones accedamus, quibus narrandi formam & ſtructuram manifeſtare conabimur.

Prima poſitio, cum res geſtæ noſtræ cauſſæ obſunt, non perpetua, ſed conciſa narratione vtendum nobis eſt. Patet hæc poſitio, ex proxima diſputatione: quam ſpeciatim tradidit conſultus Chirius Quando igitur, ait citatus auctor, res geſtæ oberunt, quæſtionibus erunt reſeruandę, & per totam orationem concidendę, vt ſtatim ſingulis occurramus; quod ipſum in narratione efficere minime poſſumus: quam narrandi formam, conciſam vocat.

Secunda poſitio, cum res partim obſunt, & partim proſunt, quæ proſunt ſimul narrari poterunt; quæ vero obſunt, quæſtionibus erunt reſeruandæ, hoc eſt, ſeorſim exponendæ, & confutandæ. Quod ſi pauca ſint, quę obſunt, poterunt commiſcerij, dummodo aliquo pacto infirmentur. Eſt eiuſdem Chirij, & Quinctiliani doctrina, & per ſe ſatis manifeſta; ac proinde nulla eſt probatione opus. Vbi ex eodem illud adnotauerim, quæ nobis proſunt, dilucide efficaciterq; eſſe narranda; quæ vero aduerſario, ſubobſcure, & leniter; modo nulla appareat veritatis celatæ ſuſpicio. Nec illud præteribo, quod Ariſtoteles prudenter admonuit, dū quæ nobis ſunt contraria narramus, cauendum eſſe, ne quid di- Quinct. Conſul.

camus, quod iudicis animum commoueat: quod in narratione Miloniana obſeruares, vbi, Clodium occiſum fuiſſe, ſimpliciter dixit Orator.

Tertia poſitio, ſi res geſtæ vicem obtinent argumentorum, narratio totam occupabit orationem: id quod in genere demonſtratiuo contingere ſolet, in quo res ſingulæ ad dicendum ſuppeditant argumentum. Et vt Conſultus ſcribit, cum coniecturaliter aliquid factum eſſe negatur: cum qualitatum, & quantitatum fit comparatio; & denique in diuinatione, & legis rogatione.

Quarta poſitio, naturalis narrandi ordo, quo prius antecedentia, tum factum ipſum, & poſtremo quæ conſecuta ſunt, exponuntur, poſſet interdum mutari, ac mutandus eſſet.

Primum, ſi priores narrationis partes eſſent aſperiores, poſteriores vero non item: tunc enim ab ijs auſpicandum eſſet, quę libentius audirentur; & poſtea ad priores, aliqua figura, reuertere liceret. Deinde, ſi auditor nollet longius detineri, ab ijs rebus incipere oporteret, quibus cauſſæ notitia continetur. Quando autem auditor excitatus fuerit, & eius aures oratione incaluerint; tunc, ſi quid longius a cauſſa, quod maiora contineat momenta, narrari deberet, inſerendum erit. Poſtremo, aliquando narrationem partimur, & quod alio in loco accommo-

datius,

datius, ac vtilius dici poteſt, eo reijcimus, vt declamatione octaua fecit Quinctilianus, et M. Tullius in Cluentiana. Hanc doctrinam Fabius & Agricola priuatim adnotarunt.

Quincta poſitio, in narratione licet adhibere aliquam excurſionem, breuem tamen, vt videamur, quaſi vi, a recto itinere depulſi: Id fecit Tullius, cum Saſſiæ nuptias narraret, O mulieris ſcelus inauditum, &c. qualis autem eſſe, & quibus de cauſſis excurſio fieri debeat, priuata diſputatione inferius demonſtrabo. Pro Cl.

Sexta poſitio, ita narrandum eſt, vt narratio ſit dilatata, extenſa, ſiue ampla. Doctrina eſt Hermogenis: neque eſt contra præceptum illud, quod communiter de narratione tradi ſolet, eam debere eſſe breuem, de quo dicetur poſtea. Poterit autem his modis dilatari.

Primum elocutione, forma ſcilicet, & figura dicendi, & periodorum genere. Neq; enim narrandum eſt cęſim, & membratim, ſed periodice, membris nimirum iunctis, & ambitu longioribus. Deinde dilatatur rebus, & factis: ſi quæ facta ſunt, officio congruentia, aut diſſentanea eſſe dicantur: vt ſi beneficia collata, uel promiſſa non ſeruata exponantur. Deinde, rebus prætermiſſis, cum quæ prætermiſſa fuere, exponemus: & ita prius quid factum non fuerit, & poſtea quid factum fuerit explicabi-

mus:verum ad dilatandum non ſat eſt vna, vel altera negatio. Deinde conſiliorum, cogitationum,& conſuetudinum additione; cum noſtra, vel aduerſariorum cogitata exponimus: quæ narrandi ratio, non ſolum efficit orationem amplam, ſed etiam moratam, & patheticam, id eſt aptam ad mouendum, & inflammandum animos. Deinde conferunt ad dilatandum cauſſarum, attributorum, antecedentium, conſequentium, comparationumq; conglobationes; item diuiſiones, partitiones, & immorationes. Poſtremo, fit narratio dilatata, ſi variæ narrandi formæ adhibeantur; vt ſi aliud ſimplici narratione, aliud probabili, aliud illuſtri expoſitione narretur. Breuiter igitur ex Hermogene, narratio, & quæuis alia orationis pars dilatabitur, elocutione, rebus, factis, conſilijs, adiunctorum frequentatione, & varia narrandi ratione. Neque hanc narrandi, megaloprepiam, & magnificentiam, vt Fabius ait, omnes cauſſę recipiunt, aut recipere debent, ſed maiores, & grauiores cauſſæ: alias poſſet eſſe inutilis, & damnoſa. Exempla ſuppeditabunt, oratio pro Sylla, pro Milone, & pro Plancio.

Septima poſitio, in narratione conficienda trium partium habenda eſt ratio, procataſtaſis, ſeu præambuli, atque principij, corporis narrationis, & finis: in quas partes diſtribui

poſſe

poſſe ſuperius diximus. In principio ſpectatur ingreſſus ad rem accommodatus: in medio narrationis tela, & filium: in fine connexio cum ſequentibus. Procataſaſis ergo, cum non tenet exordij locum, ea enim vti ſolemus cum nullum eſt principium, vt accidere ſolet in genere deliberatiuo, ſtatim poſt principium, tanquam narrationis veſtibulum, caputve collocatur. Quę autem in hac ponantur parte, ſupra docuimus: qua de re alia quædam lege apud Trapezuntium. Facit aut illuſtrem procataſtaſin, contrariorum antitheſis, vt obſeruare licet apud Ciceronem in Roſciana, & in oratione pro Murena, vbi maiora cum minoribus confert. Sex. Ver.

In narrationis tela, primum que anteceſſerunt, vt dicta, conſilia, cauſſas, & apparatus exponemus: tum factum ipſum, & quæ cum facto ſunt connexa: poſtremo euentus, & quæ conſecuta ſunt. Quam exponendi rationem facile in Miloniana narratione notares: vbi primum conſilia profectionis Clodij, tum acta, & euentus, vt inferius planius explicabo narrantur. Atque hæc eſt naturalis narrandi ſeries.

Quod ad finem attinet, is eſſe debet, vt inde oriatur quæſtio, quæ probanda eſt in confirmatione: ita vt ſubtiliter ad quęſtionem veniamus, ne eam abrupte inchoare videamur, vt Conſul. Chir.

Conſultus ait. Quod ſi narratio longior fuiſſet, breui epilogo colligenda eſſet, vt Fabius docet. Vt autem rationem texendæ narrationis adhuc planius explicemus, præter ea quæ diximus, in narrando hæc animaduertenda ſunt; factum, omiſſum, ſiue non factum, cauſa, & conſilia, ſeu conſiderationes, quas Græci logiſmos vocant, quibus addi poſſunt circunſtantiæ perſonæ facientis, modi agendi, temporis, & loci: ad amplificandum interdum adducuntur ſimilitudines, & comparationes. In Miloniana, principium, eſt Clodij egreſſus: medium, concurſus & congreſſus cum Milone: finis, mors Clodij; quæ finem ſunt ſecuta non ponuntur: Cauſſa, quod Milo conſulatum petebat eo tempore, contra Clodium: facta, ſeruorum deductio, &c. omiſſum, quod reliquit annum ſuum: Conſilia & dicta, Palam agere cœpit, & aperte dicere, occidendum Milonem: Vbi animaduerte, in vna eademque maiore & apparatiore narratione, plura facta, dicta, cauſſas, & logiſmos eſſe poſſe. Sed vt doctrinam hanc melius percipias hoc accipe exemplum. Diogenes grauiſſimus philoſophus, ſecta, ob ſermonis morumque libertatem, Cynicus (perſonæ deſcriptio) pedagogum cuiuſdam vitioſi adoleſcentis percuſſit baculo, (factum cum modo) petulanter ſe agentis (cauſſa) non puerum ipſum caſtigauit,

Aphth.

ſtigauit, (omiſſum) quod animaduerteret hoc vitium ex mala inſtitutione proficiſci (logiſmus) idque ea de cauſſa fecit, vt doceret iuuenum deprauatos mores pedagogorum negligentiæ tribuendos eſſe, cauſſa finalis. His poſſent addi loci & temporis circunſtantiæ. Poſſes hoc dilatare per ſimilitudinem, ſi diceres, Non ſecus eum feciſſe, ac medici facere ſolent, qui vt oculum ſanent, capitis venam, vnde vitium dimanat, percutiunt. Poteſt etiam addi comparatio, quod melius is ſe geſſerit, quam qui in pueros ſæuiunt, &c. In ſumma igitur recta narrandi methodus in tribus ſpectatur: in principio, quod caſu recto aliquo illuſtri epitheto, vel periphraſi, veſtitur, aut comparatione exornatur: in rei narrandæ, pro vt geſta eſt, ab initio vſque ad exitum diſtributione; ita tamen, vt ſi quæ præceſſerunt, aut ſecuta ſunt, non omittantur, ſi quid conferant: in facti expoſitione cum qualitate & modo: in cauſſarum declaratione: & in apta concluſione, ex qua propoſitionis, vel confirmationis ſumatur initium.

Octaua poſitio, narrationis initium ab aliqua illuſtri circunſtantia ſumendum eſt; vt a re, a loco, a tempore, a perſona, & alijs ſimilibus. A loco initium ſumpſit Cicero in ſeptima Verrina, cum dixit, Vrbem Syracu-

ſam,

Lib. 1. *ſam, & cæt. Et latinus Poeta*,

Sen. Vrbs antiqua fuit, Tirij tenuere coloni,
Carthago, &c.

Et Cæſar, Gallia eſt omnis diuiſa in partes
Lib. 1. de bello gal. *treis. A temporum qualitate ſæpe auſpicantur Hiſtorici. A perſona, in Quintiana initium fecit Tullius, & a re, cum hunc in modum narrare cępit, Fundum habet in agro Tigurino, &c.*

Nona poſitio, in narratione licet aliquam adhibere probationem, ſimplicem tamen, & breuem. Ita præcipit Quinctilianus; qui cum dixiſſet narrationem debere eſſe argumentoſam, hoc eſt probationum ſeminibus aſperſam, docuit ea quæ dicuntur interdum argumentis probare licere. Breuis itaque factorum ratio adhiberi poteſt, vt in Ligarianâ fecit M. Tullius.

Decima poſitio, licet narrando aliquo pacto, leniter nimirum, auditorum affectus mouere. Huius doctrinæ auctorem habemus Ariſtotelem, & nonnullos alios; & Fabius, cur, inquit, cum doceo mouere nolim? Flebiliter
Ver. 3. *Philodami caſum in quadam verrina narrauit Tullius, qui locus eſt omnino legendus. Et in Miloniana cum dixit, Quod ſi ita putaſſet, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum. Pro Roſcio Amerino, & pro Ligario, non ſi-*

ne

ne ſua, & aliorum animi commotione narrauit.

Vndecima poſitio, narrationis character, & forma debet eſſe puriſſimus, qui varietate tædium effugiat, & mutationibus animum leuet: ne in eundem caſum, ſimilem compoſitionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenocinis expoſitio, & niſi commendetur hac venuſtate, iaceat neceſſe eſt. Quinct. li. 4. c. 2.

Atque de narrationis forma, hæc quæ viſa ſunt cognitu digniora attuliſſe ſufficiat: nunc ad argumentorum ſolutionem accedamus.

Quod ergo priore loco fuit obiectum, nihil concludit, quia longe diuerſa ratione probamus in narratione, quam in confirmatione: & vt interdum narrando probamus; ita etiam aliquando probando narramus. Nec iſta munera ſunt ita vni parti propria, quin poſſint, aliqua ratione, in alia adhiberi.

Altera obiectio nihil concludit: quia in narratione, vt aliqua adhibetur probatio, ita cum res poſtulat, aliquis adhibetur motus, quo fit vt facilius in confirmatione perſuadere, & in peroratione mouere poſſimus: & vt Cicero ſcriptum reliquit, motus, quaſi ſanguis, debet eſſe in tota oratione diffuſus.

De

De narrationis virtutibus, quæ & quot ſint. Diſputatio XI.

Cic.li.1. de Inu. Auctor Heren. libro 1. Chir.

OMnes fere, qui de Rhetoricis aliquid ſcriptum poſteritati reliquerunt, cum qualis eſſe debeat narratio docent, tres ei virtutes tribuunt: breuitatem, perſpicuitatem, atque probabilitatem; quam communem doctrinam ſic impugnares.

Primum, quod attinet ad breuitatem Ariſtoteles id irridet: cum narratio, ex ſe, nec longa, nec breuis eſſe debeat, ſed tanta, quantam cauſſa ipſa poſtulat: male igitur ei huiuſmodi aſſignatur virtus.

Deinde, perſpicuitatis virtus in tota debet eſſe oratione, eſtque vt alio dicetur loco, perſpicuitas prima ac præcipua orationis proprietas: non igitur recte vni orationis parti tribuitur.

Poſtea, probabilitas potius conuenit confirmationi, in qua priuatim argumenta ad probandum afferuntur: eius igitur virtus cenſenda erit.

Poſtremo, multæ aliæ ſunt narrationis proprietates, quã iſtæ tres, vt Tullius, Fabius, Ariſtoteles, & alij boni dicendi artifices docent: non igitur tres tantum.

De

De hac propoſita diſputatione, duę ſunt Rhetorum ſentẽtiæ: Quidam enim illis tribus qualitatibus contenti eſſe videntur; alij vero plures deſiderãt: quorũ alij quattuor, vt Aphthonius, quem M. Nicolaus, & Lullus ſequuntur, qui tribus iam enumeratis, ſuauitatem addunt: alij etiam plures deſiderant.

Vt autem huic difficultati reſpondeamus, animaduertendum eſt, cum alicui orationis parti aliquæ attribuuntur virtutes, id non ita accipiendũ eſſe, quaſi illi ſoli omnino conuenire debeant: quando, etiam apud Philoſophos, quædam alicui rei propria eſſe dicuntur, quæ tamen in alia quapiam re reperire licet; vt omni homini eſſe bipedem, & implumem: ſed ideo alicui parti tribuuntur, quod maxime illi conueniant; vt ad argumenta reſpondendo, de tribus narrationis virtutibus, docebo. Propriũ itaque non vno dicitur modo. Porph. c. de pp.

Illud etiam adnotauerim Rhetores in recenſendis alicuius partis proprietatibus, non eſſe ita de perfecta enumeratione ſolicitos, vt Dialectici eſſe conſueuere, qui nullam approbant, enumerationem, niſi eam quæ ſit penitus abſoluta. Satis itaque dicendi magiſtro eſt, ſi quæ ſunt præcipua aliqua in re, ea percenſuerit, & quæ in re quapiam potiſſimum deſiderantur; vt certe ſunt tres notatæ in narratione virtutes.

tutes. Quod autem de breuitate præcipiunt, ſi recte intelligatur, non eſt riſu excipiendum: id enim per breuitatem intelligunt, quod Ariſtoteles per mediocritatem expreſſit; vt ea ſcilicet ſolum dicamus, quæ rem declarant, & factam eſſe demonſtrant; & vt reſecentur, quæ
Quict. *huc non ſpectant: quod Græci appoſito vocabulo deſignant, cum aiunt, narrationem debere eſſe* συντομὴν, *id eſt circumciſam, qua voce breuitatem a nobis expoſitam declarant. Atquen his vocatis, ad ipſas poſitiones veniamus.*

Prima poſitio, tres ſunt præcipuæ narrationis virtutes, breuitas, perſpicuitas, & probabilitas.

Primum, hæc doctrina communi Rhetorum confirmatur ſententia: ita auctor Herennianus, Tullius, Fabius, Conſultus, Trapezuntius, & alij tradunt: & apud Ciceronem Antonius,
Lib.2.de orat. *Iubent narrare, ita, vt veriſimilis narratio ſit, vt aperta, vt breuis. Deinde, finis narrationis eſt rem docere, quod non idonee faceret, qui, quæ rem non continent recenſendo, eſſet in narrando longus: & multo minus, ſi quę dicit obſcure exponeret, aut incredibilia in medium afferet: contra vero, qui veriſimilia clare, breuiterque explicaret: hæ igitur virtutes vniuerſe, ad idonee narrandum ſatis eſſe videntur:*

dentur: quas ſingulas ſequentibus poſitionibus exponemus.

Secunda poſitio, narratio debet eſſe breuis. Quo autem pacto iſta ſit intelligenda breuitas, paullo ante expoſuimus, & in altero Oratorio his verbis expoſuit, Tullius, Narrare vero rem quod breuiter iubent, ſi breuitas appellanda eſt, cum verbum nullum redundet; tunc igitur eſt breuitas, cum tantum verborum eſt, quantum opus eſt. Huc facit illud Martialis, Lib. 2.

Non ſunt longa quibus, nihil eſt quod demere poſſis.

Eiuſmodi igitur ſit breuitas, quæ alias virtutes non tollat: & vt Fabius ait, dum breuitas placet, obſcuritas cauenda eſt Saluſtiana. Breuiter autem narrabimus, ſi res non longius repetetur, quam cauſſa requirat: ſi quæ ſubintelligi facile poſſunt, prætermittemus: ſi ſummatim, & generatim narrabimus: ſi tranſitionibus non vtemur: ſi denique omnia reſecabimus, quibus ſublatis, nec cognitioni, nec dignitati quicquam detrahatur. Breuem reddunt narrationem verba ſimplicia, rectus narrandi ordo: & aliquando rei magnitudo ſermonis breuitate exprimitur, vt fecit Poeta, cum dixit, Quinct. li. 4. c. 2. Virg. li. 6. Aen.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Vt cōtra, res cōtēpta ſermonis copia augetur.

Breuitatis ergo præcepta quattuor ſpectantur in locis : in principio, ne a remotiſſimo principio cauſſa repetatur; inſtar illius, qui ſcribens Troianum bellum, a gemino ouo initium fecit; ſed inde ordiēdum eſt, vnde neceſſitas: cauſſæq; ratio poſtulat. In medio vt ſummatim narremus, vt ab eo, quod dicere cœpimus, nō aberremus: et exitus rerum ita cōmemoremus, vt etiā principia intelligi poſſint. In fine, modus enim adhibendus eſt, ne nimium excurrat narratio, ſed eo vſque, quo opus eſt. In rerum qualitate; vt magna, & vtilia narrentur, contraria vero, & humilia, ſi prodeſſe putentur, alias reticenda ſunt. Quare, illud præcipit breuitas, vt ſuperuacanea reſecētur, et vt breuis rerum complexio auditori offeratur. Quando autem, ex rei natura, narratio eſſet futura longior, ad eam auditorum animus parandus erit. Partitio etiam, & tranſitionis ab vna ad aliam partem interpoſitio, tędium leuabit. Poterit etiam aliquid reſecari per præteritionem: & id leuiter attingi, quod in probatione demonſtrandum erit.

Hora. in Poet.

Tertia poſitio, narratio debet eſſe dilucida, ſeu aperta & perſpicua, hoc eſt, ita narrare oportet, vt res intelligi poſſit. Erit autem perſpicua, ſi verbis proprijs, ſignificantibus, vſitatiſque

tatiſque vtemur: ſi ordinem temporũ in narrando ſeruabimus: ſi non interrupte, perturbate, & ambigue dicemus. Quam ſit hæc virtus in narratione neceſſaria, eleganter docuit M. Tullius, cum dixit, Narrationem obſcuram totam obcæcare orationem. Vitanda itaque erunt verba noua, hyperbata, & amphilogiæ. Auct. Her. lib. 1. Li. 2. de orat.

Quarta poſitio, narratio debet eſſe veriſimilis, ſeu probabilis. Quoniam, vt non ſemel diximus, in hunc potiſſimum finem eſt comparata, vt fidem faciat, & argumentorum ſemina ſpargat. Erit autem probabilis, ſi perſonis, locis, temporibus, aliiſque circunſtantiis conſentanea dixerimus: ſi cuiuſque facti, & euenti cauſſas indicauerimus: ſi teſtata, aut quæ vidimus, ſi cum hominum opinione, cum lege, cum more, cum religioneque coniuncta expoſuerimus; ſi deniq; aliquam probationẽ leuiter adhibuerimus, & conſiliorum rationes aperuerimus. Cicero in partitionibus multos enumerauit probabilis narrationis locos, quos late expoſuit Maioragius. Cic. in Part.

Ceterum ſi quid dicendum eſt, quod incredibile videri poſſit, id probabile fiet, ſi eius cauſſa, ratio ve reddetur. Exemplum habes apud Ciceronem, diuinatione in verrem; vbi cum dixiſſet actionem illam potius eſſe defenſionẽ,

Vt cōtra, res cōtēpta ſermonis copia augetur.

Breuitatis ergo præcepta quattuor ſpectantur in locis: in principio, ne a remotiſſimo principio cauſſa repetatur; inſtar illius, qui ſcribens Troianum bellum, a gemino ouo initium fecit; ſed inde ordiēdum eſt, vnde neceſſitas: cauſſæq; ratio poſtulat. In medio vt ſummatim narremus, vt ab eo, quod dicere cœpimus, nō aberremus: et exitus rerum ita cōmemoremus, vt etiā principia intelligi poſſint. In fine, modus enim adhibendus eſt, ne nimium excurrat narratio, ſed eo vſque, quo opus eſt. In rerum qualitate; vt magna, & vtilia narrentur, contraria vero, & humilia, ſi prodeſſe putentur, alias reticenda ſunt. Quare, illud præcipit breuitas, vt ſuperuacanea reſecētur, et vt breuis rerum complexio auditori offeratur. Quando autem, ex rei natura, narratio eſſet futura longior, ad eam auditorum animus parandus erit. Partitio etiam, & tranſitionis ab vna ad aliam partem interpoſitio, tędium leuabit. Poterit etiam aliquid reſecari per præteritionem: & id leuiter attingi, quod in probatione demonſtrandum erit.

Hora. in Poet.

Tertia poſitio, narratio debet eſſe dilucida, ſeu aperta & perſpicua, hoc eſt, ita narrare oportet, vt res intelligi poſſit. Erit autem perſpicua, ſi verbis proprijs, ſignificantibus, vſitatiſque

tatiſque vtemur: ſi ordinem temporũ in narrando ſeruabimus: ſi non interrupte, perturbate, & ambigue dicemus. Quam ſit hæc virtus in narratione neceſſaria, eleganter docuit M. Tullius, cum dixit, Narrationem obſcuram totam obcæcare orationem. Vitanda itaque erunt verba noua, hyperbata, & amphilogiæ. Auct. Her. lib. 1. Li. 2. de orat.

Quarta poſitio, narratio debet eſſe veriſimilis, ſeu probabilis. Quoniam, vt non ſemel diximus, in hunc potiſſimum finem eſt comparata, vt fidem faciat, & argumentorum ſemina ſpargat. Erit autem probabilis, ſi perſonis, locis, temporibus, aliiſque circunſtantiis conſentanea dixerimus; ſi cuiuſque facti, & euenti cauſſas indicauerimus: ſi teſtata, aut quæ vidimus, ſi cum hominum opinione, cum lege, cum more, cum religioneque coniuncta expoſuerimus; ſi deniq; aliquam probationẽ leuiter adhibuerimus, & conſiliorum rationes aperuerimus. Cicero in partitionibus multos enumerauit probabilis narrationis locos, quos late expoſuit Maioragius. Cic. in Part.

Ceterum ſi quid dicendum eſt, quod incredibile videri poſſit, id probabile fiet, ſi eius cauſſa, ratio ve reddetur. Exemplum habes apud Ciceronem, diuinatione in verrem; vbi cum dixiſſet actionem illam potius eſſe defenſionẽ,

quam accuſationem, quia videri potuiſſet incredibile, ſtatim rationem reddidit, cum multos mortales ſe defenſurum eſſe dixit. Quod ſi nullam habeas, quam poſſis reddere rationem, dicas te videre incredibile eſſe quod ais; ſed tamen te optime intelligere, atque te eius eſſe naturæ, vt credas, gratia exempli, vtilia poſtponenda eſſe honeſtati. Huc pertinet illud Ciceronis in Maniliana, vbi cum dixiſſet de Cn. Pompei temperantia, atque moderatione, addidit, Nunc incipiunt credere homines Romanos fuiſſe abſtinentes, quod nationibus incredibile videbatur. Affert eiuſdem rei exemplum

Sophoc. *Ariſtoteles ex Sophoclis Antigona, quæ dixerat, ſe magis fratrem, quam maritum & filios amare: cum tamen præter communem opinionem id eſſe videatur: ſed reddidit rationem, Quod ſi illos amitteret, poſſet alios habere, non tamen alium fratrem. Quod ſumptum eſſe*

Herod. *videtur ex Herodoto in Talia; vbi mulierem quam Dario Regi id dixiſſe narratur.*

Quincta poſitio, hæ tres narrationis virtutes hanc vim & hos effectus habere videntur: breuitas efficit, vt libenter audiatur, & quod

Vltrai. *auditur memoria retineatur: perſpicuitas, vt facilius intelligatur, quippe quæ lumen quoddam rebus narratis affert: probabilitas, vt citius probetur, fidemque conciliet.*

Sexta

Sexta poſitio, vt narratio poſſit aliquo pacto auditores afficere atque retinere, debet eſſe ſuauis atque morata: quod debeat eſſe morata Ariſtoteles docet; nec alij negant, idque ad probabilitatem refertur: quod etiam ſuauis, Tullius præcipit, & alij approbant: ſunt qui dicant Ciceronem per ſuauitatem idem intellexiſſe, quod Ariſtoteles per moratam. Ideo neceſſaria eſt quædam in narrando ſuauitas, quod nullibi ita auditoris animus iam ad audiendum comparatus attentius audiat; ac proinde ſuauitate dicendi retinendus erit. Qua autem ratione hæ duæ virtutes adhibendæ ſint, ſequentibus poſitionibus explicabo. Quinct. Cic. li. 2. orat.

Septima poſitio, erit narratio ſuauis, & feſtiua, ſi habebit admirationes, expectationes, exitus inopinatos: ſi interponantur animorum motus, colloquia perſonarum, dolores, iracundiæ, metus, letitiæ, & cupiditates: His enim modis ſuauem fieri poſſe docuit M. Tullius. Sed hæc ſine dicentis perturbatione proferri debent, ne amplificatio magis, quàm narratio eſſe videatur. Cic. in Part. Li. 2. de orat.

Octaua poſitio, tūc narratio cenſebitur morata, cum noſtros, vel eius quem defendimus bonos & aduerſariorum malos indicabit mores; quibus, & grata, & credibilis fiet. Sumuntur itaque mores tum ex parte eius qui

defenditur, vt fecit Cicero in Oratione pro Ligario, & pro Sextio; tum ex parte eius, qui dicit: mores autem principio narrationis potiſſimum exponuntur; idque his fere modis.

Primo, cum conſilium, mens, ſtudiumque eius de quo dicimus manifeſtatur: ita Cicero in Catilinam, & prima actione in Verrem, & in Miloniana, cum de Clodio dixit, ſtatuiſſe, remp. euertere: eſtq; narratio illa omnium artificioſiſſima ſuſpicionum plena. Secundo cum narrantur, quæ naturam ingeniumque deſignant: vt naturam audacem, impudentem, vel contra, remiſſam, honeſtam, & ingenuam: vt obſeruare licet in ea narratione, qua Simon, apud Terentium, artificioſiſſime filij vitam exponit. Poſtremo, cum actiones quædam recenſentur, quæ ſunt quaſi notæ quædam morum. Vt vociferatio iracundiæ, iactatio ſuperbiæ, ſermo parum honeſtus, & impudicitiæ: vt licet obſeruare in ea quæ eſt in Piſonem, vbi eius luxum deſcribens, mores quoque aperte manifeſtat: quem vinoſum hominem eſſe egregie indicauit, cum dixit, Meminiſti ne, cœnum, cum ad te quincta fere hora cum Cn. Piſone veniſſem, neſcio quo e gurguſtio, te prodire inuoluto capite ſoleatum, & cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhaleſſes, excuſatione te vti valetudinis. Et impudentiam

In And. Act. 1. Scę. 1.

Clodij,

Clodij, cum dixit, Palam agere cœpit, & cæt. Debet autem iſta morum ſignificatio eſſe moderata, & verecunda.

Nona poſitio, enumeratæ narrationis virtutes, non ſunt ei ita propriæ; vt alijs quoque partibus, ex parte, conuenire non poſſint. Doctrina eſt manifeſta ex ijs quæ adnotauimus; quã eleganter altero oratorio tradidit M. Tullius. Vbi cum eorum approbaſſet opinionem, qui has narrationi virtutes tribuunt, eos errare dixit, qui huius partis proprias omnino eſſe, affirmarunt: Sic enim loquentem Antonium facit. Iam vero narrationem, quod iubent veriſimilem eſſe, & apertam, & breuem; recte nos admonent. Quod hæc narrationis magis putant eſſe propria, quam totius orationis, valde mihi errare videntur.

Quod autem ad narrationis vitia attinet, nihil eſt quod aliquid priuatim ſcribamus: tum quia eius cognitis virtutibus, neceſſario etiam vitia cognoſcuntur: tum quod dicendi artifices, hac de re priuatim nihil ſcribere conſueuere. His igitur omiſſis, ad argumentorum ſolutionem venio.

De primo, qua ratione intelligendus ſit Ariſtoteles, cum præceptum de narrationis breuitate irridet, ſatis aperte ſupra explicuimus.

Quod attinet ad perſpicuitatis virtutem,

fatemur eam eſſe in omni oratione adhibendam; ſed quia nullibi eſt ita neceſſaria, atque ibi, vbi rem aliquam ex profeſſo exponimus; quod in narratione fit; iure optimo huius partis virtutem priuatim eſſe docetur.

De tertio, aliud eſt probare, quod eſt contentionis munus, aliud vero rem aliquam tanquam credibilem exponere, quæ eſt narrationis virtus. De quarto, concedimus in narratione quaſdam alias nos poſſe notare virtutes, ſed quas enumerauimus, eæ ſunt præcipuæ, quibus adhibitis aliæ, ſua ſponte ſequuntur.

De digreſſione. Diſputatio XII.

DVm dicendi artifices de narrationis natura ſermonem habent, de ea narrandi ratione, qua res aliqua, non tamen exponitur, quam deſcribitur, nonnihil dicere conſueuere, & ſpeciatim Fabius. Quæ, etſi omnino ad cauſſam non pertineat, tamen quaſdam ob cauſſas, & ſpeciatim delectationis ergo in hanc exponendi rationem Oratores, quod eſt poetarum, qui delectare volunt maxime proprium, interdum excurrunt: de quo narrandi, ſeu deſcribendi genere, nobis etiam aliquid hoc loco dicendum eſſe exiſtimauimus.

Lib. 4. cap. 3.

De

De hac ergo narrationis forma, quidam, vt ex Fabio diſcimus, vnam ex orationis partibus, atque etiam ſemper poſt narrationem adhibendam eſſe exiſtimarunt: quibus, & cum ratione quidem, citatus auctor ſeſe opponit. Quid autem nos ſentiamus, & quæ ſit eius natura, & vſus quibuſdam poſitionibus aperiemus.

Prima poſitio, hæc narrandi forma, a Græcis, διήγησις παρεκβατικὴ, *&* μερικὴ, διέξοδος, ἐκβολὴ, *atque* ἀφήγησις, *a Latinis narratio egreſſoria & intercurrens, egreſſio, egreſſus, digreſſio, excurſus, & procurſio dicitur: quæ in fabulis, Epiſodion vocatur. Ideo has appellationes ſortita eſt, quod per eam is quid dicit, ad aliquid extra cauſſam narrandum, demonſtrandumque non ſine cauſſa digrediatur.*

Secunda poſitio, egreſſio hunc in modum deſcribi poteſt. Egreſſio eſt alicuius rei, ad vtilitatem pertinens extra ordinem excurrens tractatio. Non enim temere, aut ſine ratione Orator a cauſſa digreditur: ſed quem facit extra cauſſæ terminos egreſſum, cauſſæ accommodet: ita vt nullum relinquat in actione hiatum, inæqualitatem nullam. Videat igitur antequam deflectat, quo redire debeat. Quæ autem res nos longe abducere ſolent, vnde non facile pe- Quinct. li. 3. c. 4.

dem referre licet, duæ ſunt, rerum diſtantia diſſimilitudoque, & animi attentio ad id, quod præſens eſt. Et quoniam ob varias rationes ac fines digredimur; hinc eſt quod variæ aſſignantur digreſſionum cauſſæ, quas mox recenſebimus.

Tertia poſitio, digrediendi cauſſæ, ſiue rationes ſunt fere iſtæ. Prima, fidei faciendæ gratia: quam ob cauſſam Cicero oratione ſeptima in Verrem ad Siciliæ amœnitatem demonſtrandam digreditur, vt veriſimile eſſe oſtendat, Verrem incontinentiſſime ibi vixiſſe. Secunda, criminationis cauſſa, vt ſi quis digrediatur a re, & ante actam aduerſarij vitam exponat: quod Cicero in Miloniana confirmatione fecit. Tertia ſimilitudinis cauſſa: vt inter duas res aliqua fiat breuis comparatio. Quarta, ad delectandum; vt ſi prata, ſi nemora, ſi fontes, ſi riuulos deſcribas, & factam deſcriptionem, ad cauſſam accommodes: vt paſſim boni faciunt Poetæ. Quincta, vt aliquod amplificetur, & exageretur crimen: vt fecit Tullius oratione nona in Verrem, cum de Euriphyla refert, viſum ornamentum amaſſe; Verrem autem multa, etiam non viſa, concupiuiſſe. Sexta, quandoque tranſitionis gratia, cum ab vno argumento, vel ab vna re ad aliam tranſire volentes, digreſſione aliqua vtimur: ita Cicero

cero in Pompeiana, vbi ad Luculli laudes tranſiturus, digreſſionem fecit. Septima, ad aliquid laudandum, vel vituperandum; vt bonus fecit Poeta, cum in Aeneę laudem egreſſus eſt. Libro 1. Aen.

Rex erat Æneas nobis, quo iuſtior alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Tullius in decimaquarta Antoniana in fine confirmationis digreditur ad laudandum eos, qui fortiter ad Mutinam pro rep. occubuerunt: pro Cornelio Balbo, in laudes Pompei: pro Roſcio Amerino in vituperationem Chryſogoni. Octaua amplificandę, & dilatandę rei breuis, & anguſtę cauſſa, vt fecit Virgilius in quarto Georgico, vbi cum in anguſto verſaretur argumento, varijs vtitur digreſſionibus. Et ne plures proſequar digrediendi rationes, cum Quinctiliano concludendam, Quicquid dicitur præter illas quinque, quas fecimus partes, egreſſio eſt. Indignatio, miſeratio, inuidia, conuicium, excuſatio, conciliatio, maledictorum refutatio; ſimilia his, quæ non ſunt in quæſtione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus. Atque ea maxime iucundam, & ornatam faciunt orationem, de luxuria, de auaritia, de religione, de officijs, quę cum ſunt argumentis ſubiecta ſimilium rerũ, quia cohærent, egredi non videntur.

Viam ad digrediendum aperiunt ſimilitudines,

nes, comparationes, exempla, criæ, & circunſtantiæ. Eo autem vnde digreſſi ſumus reuertemur, repetitione principij digreſſus, accommodatione ſimilitudinis; contentione, vel comparationis, vel contrarietatis. In minori autem digreſſione, præſertim inter argumentandum, ſine vlla tranſitione, repetitioneue, quamuis non ſine aliqua diſtinctione digrediemur; & aliquando epiphonemate claudemus. In Roſciana digreditur Tullius hoc loco, Hominem longe audaciſſimum, nuper, &c. Redit accommodatione comparationis, Eſt ne hoc illi dicto, &c. Actione ſexta in Verrem, digreditur, cum ait, Ad ea autem, quæ dicturus ſum, &c. Redit, cum dicit, Non obtundam, &c. Poetæ quoq; ſępiſſime in ipſa narratione digrediuntur per comparationes, vt Virgilius cùm cecinit,

Ac veluti annoſam valido cum robore
quercum,
Alpini boreæ, &c.

Redit autem, hoc pacto,

Haud ſecus aſſiduis, &c.

Quarta poſitio, egreſſio non eſt pars orationis. Ita Quinctilianus, & qui eũ ſequuntur alij dicendi artifices: quibus ea ſuffragatur ratio, quod digreſſio ſit veluti appendix quædam, & extrinſecus aſſumpta oratio; ſine qua in omni genere fieri orationes poſſunt. Vnde merito Fa-

bius

bius quorundam vſum damnat, qui ſine cauſæ vtilitate vbi narrauerint, ſemper in aliquem locum, oſtentationis cauſſa, excurrunt.

Quincta poſitio, digreſſio non ſolum in fine narrationis, ſed etiam alijs in locis commode poni poteſt. Ego autem (Fabius loquitur) confiteor hoc expatiandi genus non modo narrationi quidem, ſed etiam quæſtionibus, vel vniuerſis, vel interim ſingulis opportune poſſe ſubiungi, cum res poſtulat, aut certe permittit: atque eo maxime illuſtrari; ornarique orationem, ſed ſi cohæret, & ſequitur, non ſi per vim cuneatur; & quæ natura iuncta erant diſtrahit: Nihil enim tam conſequens, quam narrationi probatio. Quare etiam poſt quæſtiones, & in fine probationis, commode ponitur, vbi perorationis vice fungitur. Cic. 2. de orat.

Sexta poſitio, digreſſio aptiſſime ad finem narrationis ponitur, vbi quaſdam ob cauſſas priuatam ſedem habere poteſt.

Primum, ſi expoſitio circa finem fuerit atrox, proſequamur eam, inquit Fabius, velut erumpente protinus indignatione: vt ſi merita in ingratum expoſueris, in eum inueharis. Deinde, cum cauſſa eſt minus fauorabilis: tunc enim exordij loco, conferet ad conciliandum iudicem probationibus noſtris: hac enim ratione iudicum aures præmolliemus; Nihil enim facile

cile

cile perſuadetur inuitis. Poſtremo, cum excurſus ille erit veluti narrationis finis, & quaſi probationis initium. Tunc autem iſta egreſſio locum habebit in narratione, ſi res dubitationem non habebit: alioqui, ait Fabius, prius eſt, quod obijcias, verum efficere, quam magnum. Hoc in loco M. Tullius in Roſciana pulcherrimam poſuit digreſſionem.

Septima poſitio, breuis eſſe debet poſt narrationem egreſſio. Iudex enim ordine audito, feſtinat ad probationem, & quamprimum certus eſſe ſententiæ cupit. Præterea cauendum eſt ne ipſa expoſitio euaneſcat, auerſis in aliud animis, & inani mora fatigatis. Poterit autem paullo longius exire, qui præparat aliquid ante quæſtionem, & qui finitæ probationi veluti commendationem adijcit. At, qui ex media oratione erumpit, cito redire debet ad id, vnde diuertit. Atque ex his quæ diximus colligere licet, de locis cauſſiſque digreſſionis non poſſe omnino certam doctrinam tradi, ſed plurima ſunt, inquit Fabius, quæ rebus nihil ſecum cohærentibus inſeruntur, quibus Iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia ſunt hæc, quorum alia ſic præparata affirmamus; quædam ex occaſione, vel neceſſitate dicimus, ſi quid, nobis agentibus, noui acciderit, interpellatio, interuentus alicuius tumultus.

tus. Et apud Ciceronem Antonius, Digredi tamen, inquit, ab eo quod propoſueris, atq; agas permouendorum animorum cauſſa, ſępe vtile eſt. Itaque vel narratione expoſita, ſępe datur ad commouendos animos digrediendi locus: vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrarijs refutatis, vel vtroque loco, vel omnibus, ſi habet eam cauſſa dignitatem, atq; copiă, recte id fieri poteſt. Digreſſione itaq;, ut Fabius ſcribit, ſpeciatim vti licebit ad augendū factum, ad euertendam quæſtionem, ad occupanda argumenta, ad animos auditorum a conſideratione criminis attentioneque nimia diuertendos. Quod fit loco communi, vt quęrela, laude hominum, aliarumque rerum, aut conuicio, deſcriptione, fabula, hiſtoria, exemplo, ſimilitudine, facetijs, qualis eſt illa Demoſthenis de aſini vmbra. Quo loco illud adnotauerim, longiores deſcriptiones magis generi demonſtratiuo congruere, quam alijs generibus; ea de re, quod plurimum ad delectandum valeant, & hoc genus magis, quam alia delectationi inſeruiat. Li. 2. de orat.

Octaua poſitio, deſcriptiones priuatim ſunt perſonarum, actorum, locorumque. Et vt in præſentia adoleſcentum vtilitati conſulamus, quarundam rerum capita leuiter attingam, ex quibus eas deſcribere licet, quæ in legendis auctoribus etiam obſeruari poterunt. Et quo- Vltra c. de demō ſtra. rerum.

niam regiones agri, montes, portus, flumina, ciuitates, templa, domus, naues, frequentius deſcribi ſolent, de his priuatim aliquid dicemus.

Regiones deſcribuntur, a loci antiquitate, primis habitatoribus, ſitu amplitudine, frequentia vrbium fertilitate, cœli clementia, ab hominibus illuſtribus, a virtute bellica, ab imperio, alijſque ſimilibus.

Ager laudatur, ſi oſtendas, quid ferat, quantum ferat, quam ſit ſalubris, qua ratione colatur, a fructuum varietate, a prædiorum frequentia. Elegantiſſime in ſuo Brumano Vbertus Folieta agrum Neapolitanum deſcripſit. ac etiam hortos Tiburtinos. Virgilius Italiam libro ſecundo Georgico, & libro primo Aeneidos mirifice deſcripſit portum.

Cice. Syrac. in 4 Ver.

Montes ab altitudine, amœnitate, herbis, prato, a rebus raris, nouis, & prodigioſis, ibi geſtis; a fontibus, ſpeluncis, metallis, animalibus, ab ijs, quæ ad montis radices reperiuntur, &c.

Flumina ab ortu, amplitudine, curſu, aquarum vi atque natura, a locis quæ præterfluunt, a fluminibus quibus augentur, a piſcibus, ſinibus, a nauigandi, irrigandique commoditate &c. Quod attinet ad locos, quibus ciuitates laudare ſolemus, eos hic recenſere placet, quibus Ioannes Paulus Lancellotus; iuris vtriuſq; peritorum

peritorum eloquentiſſimus, & eloquentium iuris peritiſſimus, in eo carmine, quo Peruſiam parentem ſuam, Vrbem de me optime meritam laudauit, vſus eſt; qui ſummatim hi ſunt. Ab antiquitate, quod ante Romam condita fuerit: quam poſtea inſtaurauit Auguſtus, vnde Auguſta Peruſia nominata: a ſitu, quod in amœnis, & fertilibus collibus ſit ædificata, a cœli ſalubritate: a varijs fontibus, quibus vndique ad radices eſt ornata: a varijs fluminibus, quæ eam circumfluunt, & præſertim a Tyberi, quinque maximis pontibus ornato; a frumenti, vini, olei, et omnium generum fructuum affluentia, vellique ſerici copia: a lacus Traſimeni commoditate, piſciumque abundantia: ab omni generis venationis voluptate, auiumque toto anni tempore copia: a vaſis fictilibus, vitreis, inſtrumentiſque ferreis, quibus ex varijs locis abundat: a varijs diuerſorum colorum lapidicinis: a diuerſis plateis: ab artium multidine: a multis hoſpitalibus, varijſque diuerſarum artium collegijs: a multitudine cœnobiorũ, tum Monachorum, tum Monialium: a quatuor ſcholarium collegijs, a celebri frequentique Gymnaſio: a varijs Academijs: ab excellentibus hominibus in omni ſcientiarum genere: a militari gloria: a religione, quod nunquam a fide aberrauerit, ex eoq; quod Romano Pontifici

tifici ſit ſubiecta, & denique prouinciæ Vmbriæ Metropolis.

Templa, ab antiquitate, fundatore, ſitu, area, atrio, figura, amplitudine, lapidum genere, columnis, Sacellis, turri, cultu, ſacerdotibus, & a ſacra ſuppellectili, alijſque ſimilibus.

Domus, a magditudine, commoditate, artificio, ſitu, domeſtico cultu, proſpectu, aula, cubiculis, atrio, fundatore &c.

Naues, ab artifice, magnitudine, conclauibus, contignationibus, apparatu, & a rebus neceſſarijs.

Denique, vniuerſe de locorum, ędificiorumque deſcriptione loquentes, hæc capita ſpectanda ſunt: an ſint in edito, an in humili, an in decliui, an in plano, an in nemoroſo, in nudo ſteriliue loco: quo flumine, lacu, marique alluantur, aut cingantur: quanta latitudo, longitudo, ambituſque: ſub qua cœli plaga, quas mundi partes ſpectent: quas vrbes, quos agros, quos montes, quę nemora habeant, quo vtantur cœlo, &c.

Nona poſitio, deſcriptio, quam Gręci hypographen, & ecphraſim vocant, non eſt idem quod narratio, quamuis nonnihil ſimilitudinis cum ea habeat. Narratio enim proprie eſt rei geſtę, vt geſta eſt, hęc vero ſubſtantiæ per partes, & accidentia propria: in narratione ſemper

per eſt perſona, quæ rem geſſit: in deſcriptione factum, non tanquam perſonæ, ſed vt eſt res quædam per ſe, exponitur; vt tempeſtas, prælium, fames: præterea, in narratione ſuo ordine plura numerantur facta precedentia, & ſubſequentia id, quod eſt præcipuum; in deſcriptione vnius rei partes, vt in reipſa exiſtunt, additis ijs, quæ propoſitam rem aliquo pacto attingunt: incipiendo ab ijs, quæ ſunt magis nota, & ſub aſpectum cadunt, progrediendo, ad proprias, rei notas, & partes intimas. Denique vt huic diſputationi ſit finis, cum alio libro fuſius de deſcribendi ratione ſcripturus ſim, is poterit rem omnem apte deſcribere, qui aliquando eam viderit, aut cogitatione accurate complexus fuerit.

De propoſitionis partitioniſque natura. Diſputatio XIII.

Et ſi propoſitio ex omnibus rhetoricæ partibus minor eſſe videatur; ac propterea de ea pauciora ſcribi ab auctoribus ſoleant: tamen non minorem, quam aliæ partes difficultatem eam habere, quas nunc ſubijciam, eæ demonſtrabunt rationes; quibus a partibus orationis, vel ſaltem a primarijs excludendam eſſe demonſtrabo.

Primum propoſitio, eſt neceſſaria in omni ſcriptione, arte, quæ in dicendo, aut ſcribendo verſatur; cum, & philoſophi, & hiſtorici, & poetæ, & quotquot ſunt ſcriptores id de quo acturi ſunt, proponant: non erit igitur cenſenda propria rhetoricæ pars: quod propoſitum fuit, eſt omnino certum; ex quo etiam neceſſaria oritur conſecutio.

Deinde, tam partitio, quam diuiſio, magis pertinere videntur ad Dialecticum quam ad Rhetorem, cum ambæ ſint quædam ſciendi, & aliquid concludendi inſtrumenta: ſitque Dialecticæ proprium res totas partire, & vniuerſas in ſuas formas diuidere: qua igitur ratione poterunt eſſe orationis rhetoricæ partes, cum ſint alterius doctrinæ inſtrumenta?

Præterea, ea non eſt cenſenda orationis pars, immo non eſt in oratione adhibenda, quæ ſine ſuſpicione præmeditatę orationis adhiberi non poteſt: at, qui, quæ dicit in certa capita partitur, qui diſtincte & ordinate proponit, ſe ad dicendum maxime præmeditatum acceſſiſſe, & ſe ex arte dicturum eſſe, aperte demonſtrat: cum tamen nullum poſſit eſſe maius in arte vitium, quam in dicendo artem eluceſcere, cum
Libro 4. cap. 2. *vt eleganter Quintilianus ait, deſinat eſſe ars, ſi appareat: vt omittam, quod artificioſa partitio, orationem quibuſdam ornamentis priuat;*

uat; vt ſunt illa, Fugerat me, pene exciderat, & id genus alia: adde etiam, quod gratiora eſſe ſolent, quæ ex re ipſa, & ex improuiſo nata videntur. quare licet partitio apta ſit ad docendum, motum tamen ac delectationem impedit.

Poſtea, propoſitio, ſiue partitio videtur eſſe quædam narrationis particula, cum in ea numeremus, & diſponamus ad docendum accommodate, quæ narrata fuere; aut certe quoddam confirmationis initium; cum in ea proponamus quæ confirmanda ſunt. Corroboratur hæc ratio, quoniam idem efficere videtur, quod facit exordium, in quo & proponere, & diuidere ſolemus.

Ad hæc, non videtur eſſe particula quędam ab alijs ſeiungenda, & certo loco ponenda, cum in omni fere oratione proponendum ſit: ſiquidem nullus poteſt tractari locus, nullum explicari argumentũ, niſi ipſa intercedat propoſitio.

Denique, ne plures afferam dubitandi rationes, propoſitio eſt cuiuſque ratiocinationis pars, quam epicherema Gręci, & ſpeciatim Hermogenes, appellare conſueuere; igitur.

Quod ad ſcriptorum opiniones hac in parte attinet, Ariſtoteles, vt alias diximus, affirmauit propoſitionem eſſe partem omnino neceſſariam orationis: at Quinctilianus exiſtima-

uit, interdum eſſe adhibendam, interdum vero minime: Sed ille loquitur de propoſitione in oratione per ſe conſiderata: hic vero de eadem, vt in cauſſis, quæ auditores ſpectãt, adhibetur. Rurſus, ex ijs qui eam in partibus orationis ponũt, alij ad primarias, alij ad ſecundarias pertinere putant: & horum alij volunt eſſe narrationis, alij vero confirmationis particulam. De hac diſputatione legendus eſt Fabius libro quarto, Conſultus Chirius libro ſecundo, & Trapezuntius, vt alios mittam ſcriptores, libro tertio: nos, vt ſolemus, quibuſdam iactis fundamentis, quid ſentiendum ſit certis poſitionibus ſtatuemus.

Capi. 4. & 5. Ceſar. tract. 4. cap. 8.

Primum fundamentum, hæc orationis pars, tum apud Latinos, tum apud Græcos ſcriptores, varia eſt ſortita nomina: a Latinis dicitur propoſitio, partitio, diuiſio, diſtributio, enumeratio, cauſſæ conſtitutio, expoſitio: a Græcis vero, procataſceue, ideſt preparatio, ſiue aditus & cõfirmationis principium, die reſis. i. enumeratio, ananeoſis. i. renouatio, & tome, ideſt ſectio. Quarum appellationum ſignificationes, ſi quis diligentius eas perpendet, non nihil inter ſe differre inueniet; in quibus explicandis, nos immorari nolumus. Nec mirum cuipiam videri debet, quod hæc pars plura ſit ſortita nomina; quoniam plura in ea præſtantur, &

pluribus

pluribus modis fieri ſolet, ac propterea pluribus modis nuncupari potuit. Nam, vt in ea ſimpliciter id, quod eſt probandum ponitur, propoſitio; vt vero plures partes tractandæ numerantur, numeratio; vt totam cauſſam in membra partitur, partitio, & diſtributio; vt denique auditorem ad confirmationem præparat, præparatio, & renouatio. Illud autem adnotauerim; propoſitionem deſignare ſimplicem rei explicandæ poſitionem; quæ ſæpius in vna eademque cauſſa adhiberi poteſt. Vt cum varij tractandi proponuntur loci. Enumeratio vero, plura membra, ſiue capita proponendo, quodam ordine recenſet, atque digerit: vt planius poſtea explicabitur.

Secundum fundamentum, propoſitio tribus modis conſiderari poteſt: primo, vt eſt pars epicherematis, vel alicuius loci explicandi ſimplex poſitio; & de propoſitione hoc modo accepta, nulla eſt hic dubitatio. Secundo modo, vt eſt cauſſæ confirmandæ, & rei tractandæ poſitio, ſiue per modum exordij, ſiue narrationis, ſiue paucis, ſiue pluribus verbis id fiat; quo pacto Ariſtoteles eam conſideraſſe videtur. Tertio modo, vt eſt pars quædam orationis ab alijs ſeiuncta, qua non ſolum ſimpliciter proponimus, ſed etiam partimur, & enumeramus: & de propoſitione hoc modo accepta in præſen

tia eſt dubitatio, an debeat cenſeri vna ex primarijs partibus ab alijs diſtincta : quam eo modo definire ſolent, vt ſequenti docebitur fundamento.

Tertium fundamentum, propoſitio bis modis deſcribi poteſt, Propoſitio eſt cauſſæ & totius controuerſiæ poſitio: vel, eſt denunciatio, breuiſque rei demonſtrandæ expoſitio : vel denique hoc pacto, Propoſitio eſt pars orationis, in qua quid dicendum ſit breuiter abſoluteque proponitur. Cuius duæ ſunt formæ, ſiue ſpecies: altera ſimplex, quando id de quo dicturi ſumus nude, ſine vlla expoſitione, aut enumeratione proponitur; vt fecit Ouidius, cum dixit, Libro 1. Met.

In noua fert animus mutatas dicere formas

Corpora, &c.

Altera coniuncta, ſeu compoſita, qua, vel exponendo, vel enumerando rem totam planius proponimus, quam priuatim diuiſionem vel partitionem poſſes appellare. Illa potiſſime in quæſtione infinita, cum vniuerſe aliqua res tractanda proponitur, hac in quæſtione finita, ſeu in cauſſa, quæ pluribus verbis exponi ſolet, vtimur. Compoſita propoſitio, quæ & coniuncta, & multiplex vocatur, ſubdiuidi poteſt in expoſitionem, & diuiſionem. Expoſitio eſt in qua plura, proponendo, explicantur 1o. Met.

cantur abſq; enumeratione, aut diſtributione: diuiſio vero eſt, cum quæ proponuntur certo ordine, & numero explicantur. Hanc ſubdiuideres in ſeiunctionem, & diſtributionem, partitionemve. Seiunctio eſt qua monemus quid relinquere, & quid noſtra oratione proſequi velimus: vel eſt, quæ oſtendit, quid nobis cum aduerſario conueniat; & quid in controuerſia relinquitur. Diſtributio vero ſiue partitio, eſt, qua rei de qua dicturi ſumus capita certa proponimus, & numeramus. Non me latet eſſe quoſdam, qui propoſitionem ſimplicem, vocant quæſtionem dialecticam hoc modo propoſitam, An Clodius Miloni inſidias fecerit? vbi altera pars cernitur contradictionis: coniunctam vero, cum per modum problematis proponitur, vt Milone Clodio, aut Clodius Miloni inſidias fecerit? vbi quod affirmes, aut neges nihil eſt. Nec etiam me fugit paullo aliter dicendi Magiſtros propoſitionis modos, ſiue formas explicare: ſed tamen nulla eſt fere in re ipſa differentia. His ita poſitis fundamentis, has ſtatuto poſitiones.

Prima poſitio, ſi loquamur de propoſitione vniuerſe ſumpta, per quam res qua de agitur, quoquo modo proponitur, eſt neceſſaria orationis pars.

Primum hanc poſitionem confirmares ex

communi Rhetorum ſententia. Deinde apertiſſima ratione, quod nihil confirmari poſſit, niſi prius propoſitum fuerit: Quo fit, vt hęc pars, ſua natura, in oratione deſideretur.

Secunda poſitio, ſi propoſitio ſumatur priuatim pro ea orationis parte, in qua proponendo exponimus, & partimur, ſiue numeramus, quæ inter narrationem, & confirmationem poni conſueuit, probabilius eſt eſſe vnam ex partibus primarijs orationis ab alijs ſeiunctam. Quare, ni velis cum quibuſdam dicere eſſe veluti narrationis appendicem, vel cum alijs contentionis caput, aditum ve, dicas eſſe ab ijs diſtinctam; quam doctrinam his rationibus probabiliter defenderes.

Primum, propoſitio ponitur tanquam pars diſtincta ab alijs, vt patet in ijs orationibus, in quibus nullum eſt exordium, narratio nulla; ergo etiam tunc cenſenda erit pars diſtincta cum exordium, vel narratio adeſt, ſi ſeorſim ab illis ponatur, vt in multis fieri orationibus conſueuit. Deinde, in propoſitione non præſtamus munera aliarum partium, vel ſi quod præſtamus, non eodem modo: igitur erit pars ab alijs ſeiuncta: quam rationem hunc in modum confirmares. Cum proponimus, non

exordimur

exordimur per modum principij, vel inſinuationis: non narramus, nec cōfirmamus, igitur. Poſtremo, de hac parte dantur definitiones, diuiſiones, & præcepta ab alijs partibus diuerſa: erit igitur ab illis diſtincta: his rationibus accedat auctoritas multorum Rhetorum, qui hanc opinionem ſequuntur. M. Io. Merc. Cor. Vitr. Pet. Gunt.

Tertia poſitio, cum proponimus, ac ſimul etiam partimur, diuidimuſue, non duæ partes, ſed vna cenſenda eſt. Siquidem, cum plures partes exponuntur & recenſentur, fit quædam per modum enumerationis propoſitio. Quare partitio, quaſi quædam propoſitionis particula eam ſequitur: eſt enim veluti multiplex propoſitio, & diuiſio per ſeiunctionem, ſeiuncta propoſitio.

Quarta poſitio, hæc pars hoc pacto deſcribi poteſt, Propoſitio eſt breuis eius rei de qua dicendum eſt poſitio: vel hoc pacto, eſt breuis & partita, expoſitaue cauſſæ conſtitutio: Illa deſcriptio ſimplici propoſitioni, hæc compoſitæ conuenire videtur. Per hanc itaque partem id efficit Orator, vt iudex, ſiue auditor id intelligat, quod explicandum eſt, & in controuerſiam venit.

Quincta poſitio, propoſitio apte diuidi poteſt, in ſimplicem & complexam, vel, vt Fabius loquitur, in ſimplicem, ſeu nudam, & mul

tiplicem,

tiplicem,& hæc in expoſitionem & diuiſionẽ: & hęc rurſus in ſeiunctionem & partitionem, numerationem ue, iuxta ea, quæ in tertio diximus fundamento. Exemplum ſimplicis propoſitionis eſſet huiuſmodi, Archias eſt Ciuis Romanus: Oro te vt cum Philoſophiæ ſtudijs eloquentiam, Romanique ſermonis candorem coniungas. Huiuſmodi ſimplices propoſitiones in cauſis coniecturalibus eſſe ſolent. Compoſitæ, ſeu coniunctæ exemplum eſt huiuſmodi, Archias ciuis eſt Romanus, aut, etiamſi ciuis non ſit; tamen propter eruditionem dignus eſt, qui in ciuium numero ponatur: Socrates accuſatus fuit, & quod iuuentutem corrumperet, & nouas ſuperſtitiones introduceret: Oſtendam primum cauſſam non fuiſſe cur a Prætore poſtulares bona P. Quintij: deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe: poſtremo non poſſediſſe. Exemplum propoſitionis per modum expoſitionis habes apud Ciceronem in oratione pro Cn. Plancio. Quoniam mihi non non ſumo tantum, iudices, neque arrogo; vt Cn. Plancium ſuis erga me meritis, impunitatẽ conſecuturũ putem; niſi eius integram vitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam oſtendero, nihil de pœna recuſabo: ſin omnia præſtitero, quæ ſunt a bonis viris expetenda, petam, iudi-

ces,

ces, a vobis, vt cuius miſericordia cuſtodita eſt, ei vos veſtram miſericordiam, me deprecante, tribuatis. Exemplum per modum enumerationis habes apud eundem in oratione pro Murena, Intelligo, iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, &c. & in Antoniana ſeptima. Apud Terentium, Breuiter & commode rem omnem a principio audies: eo pacto & vitam gnati, & conſilium meum cognoſces, & quid facere in hac re te velim. Et apud Latinum Poetam, In And. libro 1. Georg.

Quid faciat lætas ſegetes; quo ſidere terram
Vertere, Mecœnas, vlmiſque adiungere vites
Conueniat; quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis
Hinc canere incipiam.

Solent autem Poetæ, vt plurimum, cum propoſitione inuocationem coniungere, vt eodem loco, idem auctor fecit. Quod attinet ad propoſitionem, quæ ſeiunctionem continet, tale ſit exemplum: Interfectam fuiſſe ab Oreſte matrem, mihi cum aduerſario conuenit: iure ne id fecerit, licueritne filio matrem occidere, id in controuerſia poſitum eſt. Quod Trap. libro 1.

ſi quid

ſi quid fuerit in cauſſa, in quo aduerſarium con uenire incertum ſit, ex cuius confirmatione tota cauſſæ confirmatio ſtatuſque principalis pendeat, illud ſtatim confirmari debebit: quod in Miloniana Tullium feciſſe obſeruare licet. Nam, cum defenſor cum accuſatore de nece Clodij a Milone facta conueniret, quæreturq; an iure id fecerit; quoniam aduerſarius nemini vnquam hominem occidere fas eſſe dicebat, contra vero defenſor; propterea artificioſus Orator ad id probandum primum ſe conuertit, vnde tota pendebat cauſſæ confirmatio. Quare, vt adnotauit Trapezuntius, hæc tota illius orationis pars, potius ad ſeiunctionem, vel, vt nos ſupra docuimus, ad præparationem, quam ad confirmationem pertinet: in qua, ex indita a natura lege, aggreſſorem occidere licere, elegantiſſime doctiſſimeque demonſtrat. Hac re comprobata, ad narrationem ſe conuertit, vt poſtea oſtendat Clodium Miloni feciſſe inſidias, ac proinde iure occiſum fuiſſe. In altera vero ſeiunctionis parte, id, vt diximus, proponitur, quod a nobis confirmandum erit.

Cic. act. 3. I ver.

Sexta poſitio, propoſitionis locus, vel eſt poſt præparationem, vel poſt narrationem & aliquando poſt exordium: Intellige de ea propoſitione, quæ in maioribus cauſſis ſeorſim poni

ni conſueuit: aliquando tamen ponitur in orationis principio, vt cum a propoſitione initiū capit oratio. In Quintiana ponitur poſt narrationem, in qua primum continetur exordij renouatio, Cum maiores noſtri, &c. captat deinde beneuolentiam, cum ait, Illud etiam reſtiterat, & attentionem, dum dicit, Faciam quod te animaduerti facere, &c. Deinde ponitur propoſitio, Negamus te bona, & cęt. Denique ſubijcitur partitio, Primum oſtendam, &cæt. In Miloniana etiam ponitur poſt narrationem, vbi primum innouatur diuiſio poſita in exordio, ac etiam argumenta, Nihil dico, quid reſp. conſecuta ſit, &c. Deinde diuiſio per ſeiunctionem, Si id iure non poteſt, &cæt. & rurſus ſin hoc nemo veſtrum: & rurſus, Inſidias factas eſſe, &c. Poſtremo proponit id quod in iudicium venit, Nunquid igitur, &c. In oratione pro Deiotaro, eſt breuis propoſitio ex narratione collecta, Is igitur non modo, &c. In ſcptima Antoniana exordio ſubijcitur præmunitio, & præmunitioni breuis ac pulcherrima partitio. Denique, in oratione pro Sextio, poſt exordium, propoſitio cum partitione collocatur, vt etiam actione tertia in Verrem ante narrationem. Atque ex his, quæ poſita & explicata ſunt, facile allata argumenta dilueres.

Primum nihil concludere, ſatis eſt manifeſtum non enim quia omnes: qui dicunt, aut ſcribunt, rem proponunt, ſequitur propoſitionem non eſſe partem orationis, cum id quod nos docemus, iſta ratio confirmet: quamuis propoſitio oratoria ab alijs ſit diuerſa.

Secundum facile refelleres, dicendo propoſitionem & diuiſionem hoc loco, non conſiderari vt ſunt ſciendi inſtrumenta, ſed vt per eas ſimpliciter, quod probandum eſt, proponitur: neque eſt ſolius Dialectici diuidere & partiri, ſed etiam Oratoris.

Tertium ſolum concludit non eſſe adhibendam, vbi non oportet: nec pro vitio haberi debet præmeditata oratio, cum præmeditatione opus eſt. Et vt partitio aliquem orationis ornatum, ſpeciemque poteſt auferre, ita nonnullas vtilitates ſecum affert.

Quartum facile ex dictis ſoluitur: neque enim eſt narrationis particula, cum ſit omnino ab illa diuerſa, vt iam expoſuimus: nec ſimiliter eſt confirmationis initium, cum quæ in propoſitione continentur, non ſint proxime alicuius argumentationis, ſeu probationis partes, vt eſſe ſane deberent, ſi ad confirmationem Matur. *ſpectarent. Neque confirmatio vrget, quia alio modo, vt docuimus, in exordio, alio in propoſitione proponimus & partimur; maxime*

me cum propoſitio alia eſt ab exordio.

Quinctum, nihil concludit, quia alia eſt ſimplex quædam alicuius loci propoſitio, alia totius cauſſæ conſtitutio, diſtributioque.

Poſtremum quo pacto ſoluendum ſit, eſt ex dictis omnino perſpicuum. Nihil eſt igitur cur de eo quicquam priuatim dicamus.

De vſu, quantitate, qualitateque propoſitionis. Diſputatio XIIII.

QVod ad vſum virtuteſque propoſitionis attinet, duo ſunt præcipue, de quibus dubitari ſolet: alterum, an ſemper adhibenda ſit: alterum, quot debeat conſtare partibus.

De primo, quidam, vt Quinctilianus refert, exiſtimarunt ſemper adhibendam eſſe: quibus citatus auctor, quem alij ſequuntur, contradixit. De altero, nonnulli putarunt propoſitionem, ſeu partitionem tria ſolummodo membra, ad ſummum, habere poſſe; quorum opinioni bonorum Oratorum vſus, & meliorum ſcriptorum refragatur ſententia.

Quod autem ſemper adhibenda ſit, ea confirmare videtur ratio, quoniam propoſitio eſt pars orationis neceſſaria, vt ſupra docuimus: Quinct. M. Nic.

non

non igitur ſine ea oratio poterit conſiſtere.

Adde, quod nulla oratio eſt tam ſimplex, quæ plura non habeat capita: igitur ſi diſtincte, ſi clare, ſi intelligenter dicere volumus, ea quæ dicenda ſunt, proponere, & partiri neceſſe erit.

Quod vero non debeat pluribus partibus conſtare, ea ſuadet ratio, quia omnis longior partitio ſolet confuſionem parere: vt omittam, quod valde periculoſum eſt, ne dum plura proponuntur, aliquid excidat, aut ne poſitus perturbetur ordo.

Vbi illud etiam admonuerim, dubitari ſolere, an quo partitionis membra propoſita fuere ordine, eodem poſtea pertractanda ſint. Et quoniam in hac diſputatione nihil occurrit notandum, quid de rebus propoſitis ſentiendum ſit, aliquibus poſitionibus decernam.

Prima poſitio, propoſitio vniuerſe ſumpta, eo modo, quo proxima diſputatione explicuimus, ſemper eſt neceſſaria in oratione. Etenim nihil confirmare poſſumus, quod prius non fuerit propoſitum. Quare, non ſolum ratione auditorum, ſed ſua natura, hæc pars neceſſario in oratione, vt etiam ſupra docuimus, adhibenda erit.

Secunda poſitio, ſi propoſitio ſpeciatim ſumatur pro ea parte, quæ ſeorſim ab alijs vel

poſt

poſt præparationem, vel narrationem, ſeu procataſtaſin poni conſueuit, non eſt neceſſario in omni oratione ponenda.

Confirmat primum hanc doctrinam bonorum Oratorum vſus; in quorum orationibus non ſemper hæc pars ſeorſim poſita & ab alijs diſtincta reperitur: vt patet in Rabiriana, *vbi breuis ſed neruoſiſſima narratio locum propoſitionis ſupplet: idem in* Ligariana, *Antoniana tertia, & multis alijs. Accedat etiam Quinctiliani & multorum aliorum, qui eum ſequuntur auctoritas. Adde poſtremo, quod ſæpenumero cauſſa ipſa nullam partitionem admittit: & interdum, etiamſi cauſſa eſſet coniuncta, ſiue multiplex, non ſine detrimento diſtincta adhiberetur eorum, quæ tractanda ſunt propoſitio; vt ex ijs quæ ſcribam planum fiet.* Lib. 4. cap. 5.

Tertia poſitio, his potiſſimum de cauſſis non eſt adhibenda in oratione partitio.

Primum, quia interdum gratiora ſunt, quæ inuenta ſubito, & ex re nata, quam quæ domo allata eſſe videntur. Propoſitis itaque rebus cum nulla eſt neceſſitas, tollitur illa nouitatis gratia, quæ in rebus nouis cernitur. Deinde, quoniam quod proponitur poteſt eſſe auditori & iudici inuiſum, cum illud prouideat, ac etiã reformidet, non ſecus ac ægrotus chirurgi fer-

rum. Danda eſt itaque opera, vt interdum aliud agere videamtur, quam quod auditor putat: quod qui ſemper proponeret, facere non poſſet. Quare, cum non tam docere, quam monere Orator debeat, ea eſt retinenda tractandi ratio, quæ magis ad mouendum, quam ad docendum confert; cui rei ſæpe eſt contraria nimia in diſtincte proponendo diligentia: pręſertim cum res dicendę huiuſmodi eſſent, vt ab eis auditorum & iudicum animus eſſet auertendus. Poſtea, ſi quid varie eſſet defendendum, aut improbandum, & vniuerſe confirmandum, inutilis eſſet partitio, qua proponerentur ea omnia, quæ poſtea confirmare oporteret: vt ſi quis ita partiretur, Dicam non talē eſſe, hunc quem tueor, vt in eo credibile videri poſſit homicidium: dicam, occidendi cauſſam huic non fuiſſe: dicam hunc eo tempore, quo homicidium factum eſt, trans mare fuiſſe, &c. Quo fit, vt in genere demonſtratiuo non ſit partitione opus; poteſt tamen per modum enumerationis breuiter adhiberi, vt in Pompeiana fecit M. Tullius. Idem de cauſſa deliberationis dicas: in qua idem Orator, vt ex ſeptima Antoniana diſcimus, enumeratione eſt vſus. Præterea, ſi quid eſſet ſtatim confutandum, non eſſet opus partitione, ſed ſingulæ propoſitiones ſuis locis ponendæ, & confutan-

Quinct. li. 4. c. 5.

dæ ſunt; vt fecit Tullius in oratione pro Deiotaro, & in Ligariana. Denique, cum quęritur de facto, quod eſt notum: cum cauſſa eſt ſimplex: cum narrationis finis eſſet cum probatione coniunctus: tunc enim ſatis eſſet admonere de ijs eſſe dicendum, quæ narrata fuere.

Quarta poſitio, propoſitio ſiue diſtributio, his de cauſſis potiſſimum in oratione ponenda eſt.

Primum cum de facti qualitate quæritur: in hoc enim genere, vt plurimum, plura ſolent eſſe capita; quamuis non ſemper, cum interdum poſſit eſſe ſimplex qualitas: Deinde ſi cauſſa ſit implicata, & obſcura: Poſtremo cum plura crimina ſunt obijcienda, aut confutanda. Itaque, ait Fabius, ſi plura, vel obijcienda, vel diluenda ſunt, & vtilis, & iucunda partitio eſt: vt quid quaque de re dicturi ſumus, ordine appareat.

Quincta poſitio, propoſitio, ſiue diſtributio, bis fere modis adhiberi ſolet. Nam, vel vtimur propoſitione noſtra; vt ſi Orator dicat, furtum obijcio: vel propoſitione aduerſarij, vt ſi dicatur, furtum mihi obijcit: vel propoſitione communi; vt ſi ita diceretur, ea eſt noſtra diſceptatio, vter melius ſit accuſaturus: aliquando duæ propoſitiones vniuntur, hoc

pacto; ille me de furto, ego eum de ſacrilegio Quinct. *accuſo. Primum itaque dicendum eſt, quid ſit* loco cit. *id, in quo eſt conſenſus, deinde in quo ſit diſſidium, & in illo quid aduerſarius, quid nos fateamur: in hoc vero, quæ noſtræ propoſitiones, quæ partis aduerſæ.*

Sexta poſitio, partitionis, ſeu enumerationis membra erunt plura, vel pauciora pro ratione cauſſæ; ſed curandum eſt vt ſint pauciora: minimum, erunt duo, ſummum quattuor, vel quinque, ſed rarius quinque. Quare non eſt probanda eorum opinio, qui tantum tria Quinct. *membra facienda eſſe cenſent. Cum Demoſthe-* Hier. *nes in oratione de male obita legatione contra* Capid. *Eſchinem, & M. Tullius in Sextiana, plura, quam tria membra propoſuerint.*

Septima poſitio, cum in partitione propoſita ſunt membra, optimum erit conſilium ſi inter dicendum per epimonen repetentur, vel priuatis propoſitionibus breuiter iterum proponentur, vt Cicero in oratione pro Cælio fecit: quod per tranſitionem commode fieri poterit.

Octaua poſitio, in partiendo, ſiue diuidendo adhibenda eſt diligentia, & ea doctrina quæ ad recte diuidendum eſt neceſſaria; ita, vt non ſit obſcura & diſſipata partitio, ne quid ſuperuacaneum habeat, aut aliqua parte deficiat.

Quare,

Quare, ſi quis ita proponeret tria membra, quorum vltimo probato, alia eſſent inutilia, inepta eſſet partitio: quo vitio Cluentianam partitionem quidam laborare dixerunt. Quocirca, ſi quis ita diuideret; ſi occidit, iure occidit: verum non occidit; hoc ſi probari poteſt, illud fruſtra ponitur: poni tamen poſſet, ſi poſtremum eſſet dubium. Cicero in Miloniana ita partitus eſt, Clodius inſidiator fuit: & eſto non fuiſſet, adhuc iure occiſus fuit a Milone. Lege Fa. loco cit. Martia.

Nona poſitio, nulla cauſſa in minores partes eſt concidenda. Eſt enim, vt aliquando Seneca ſcripſit, hoc vitium indiuidendo graue: talis igitur, vt Martianus docuit, ſit partitio, vt ſingulæ partes plures in ſe contineant queſtiones.

Decima poſitio, propoſitionis virtutes ſunt fere iſtæ: vt ſit aperta, ordinata, abſoluta, breuis, nullo verbo ſuperuacaneo onerata, tota dilucida, atque perſpicua: cum nihil ſit turpius, quam id eſſe obſcurum, quod ad omnem obſcuritatem tollendam eſt comparatum. In ſumma, tribus præcipue virtutibus commẽdatur propoſitio, breuitate, qua ſolum neceſſaria aſſumimus: abſolutione, qua omnia quæ in cauſſam incidunt complectimur genera: & membrorum paucitate. Has omnes virtutes in hac Ci- Cic. li. 1. de Inu.

Pro Mur. *ceronis partitione cerneres; Intelligo iudices tres totius accuſationis partes fuiſſe: & earum vnam in reprehenſione vitæ; alteram in contentione dignitatis; tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.*

Vndecima poſitio, apta, & idonea diſtributio, ſeu partitio, multas ſecũ vtilitates affert. Confert ad docendum: iuuat memoriam: facit, vt attente audiamur: reficit auditorem in ſingularum partium tractatione, plurimum denique lucis, & gratiæ orationi confert.

Duodecima poſitio, quo ordine membra in partitione propoſita fuerint, eodem fere tractanda & confirmanda ſunt. Cõſult. Quinct. *Præceptum eſt catholicum ab omnibus fere Magiſtris traditum: ſed tamen non ita religioſe ſeruandum, vt interdum ab eo, quem propoſueris ordine declinare non liceat.*

Decimatertia poſitio, cum noſtra proponimus, & maxime ea de quibus dubitamus, aut nobis obeſſe poſſunt, cum dubitatione proponamus; vt, tria ſunt de quibus dicendum arbitror: & Cicero in Miloniana, Sin hoc nemo veſtrum ita ſentit, &c. Quando vero, quæ ab aduerſario dicta ſunt, & quæ nobis prodeſſe poſſunt, proponuntur, expreſſe & diſtincte proponere oportebit; vt pro Murena fecit Tullius, Artis itaque eſt, ea de quibus dubitamus, &

quæ

quæ obeſſe poſſunt, cum dubitatione proponere, & fingere nos ita arbitrari, & exiſtimare ita eſſe dicendum, &c. quæ vero non timemus audacter proponere.

Decimaquarta poſitio, iudicationis, ſeu quæſtionis propoſitio, non eſt ſimpliciter & nude inducenda, ſed cum munitione aliqua. Eſt præceptum optimum a Fabio traditum: quia talis propoſitio, non ſolum quod in iudicium venit indicat; ſed etiam iuuat, & aduerſarium premit. Hoc artificium in Miloniana propoſitione animaduertere licet. Ab vtro, inquit Orator, factæ ſint inſidiæ, incertum eſt. De hoc igitur, latum eſt, vt quæreretur: ita & Senatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit: Vbi vtrique parti diuiſionis ſua appoſita eſt munitio. Quo loco illud admonuerim, propoſitionem, non confirmatione, ſed aliqua ſententia de æquitate, & iuſtitia muniendam eſſe. Vt in Miloniana propoſitione, ſeu renouatione, Si hic illi, vt ne ſit impune: ſi ille huic, vt tunc nos ſcelere ſoluamur. Atque hæ ſunt illæ prouolæ, quibus, quaſi manu haſtam tenentes, crimen proponimus: iuxta ea, quæ ex M. Tullio, ſupra de exordio agentes, diximus.

Quæ dubitandi rationes in principio huius diſputationis attulimus, facile ex allata doctri

na tolluntur: ac proinde nihil eſt neceſſe, vt ad eas aliquid ſpeciatim reſpondeamus. Illis igitur omiſſis, ad quartam orationis partem explicandam tranſitum faciamus.

An probatio, ſiue confirmatio ſit orationis pars, deque eius natura.
Diſputatio XV.

Maior, præcipua, magiſque neceſſaria orationis pars ab omnib. dicẽdi Magiſtris ſemper exiſtimata fuit confirmatio: de qua, quod ſciam, an in partibus orationis numeranda ſit, vnquam dubitauit nemo. Quãuis ergo tam certum ſit, quam quod certiſſimum, confirmationem eſſe Rhetoricę orationis partem: tamen, vt eam retineamus docendi rationem, quam ſemel amplexi ſumus, rem indubitatam, quibuſdam rationibus in dubium reuocabimus.

Primum, illa cenſetur orationis pars, in qua aliquod ex tribus Oratoris muneribus, aut omnia præſtantur, quæ ſunt, docere, mouere, & delectare: atqui nullum ex his adhibetur in confirmatione; a partium igitur numero excludenda erit. Huius argumentationis ſumptio facile probatur: confirmatio non docet; quo-

niam id eſt, vel exordij, vel narrationis, vel vtriuſque partis proprium: non mouet, quia motus, & exordio, & perorationi a magiſtris tribuitur; quo fit vt neque delectet, cum delectatio ſine motu non fiat, prȩterquam quod delectatio videtur narrationis propria. Quod ſi dicas docere, & mouere ſimul, dum rem probat, & probatam amplificat; id nullo modo fieri poſſe videtur, idque Ariſtoteles expreſſe affirmauit. Libro 3. ca. 17.

Deinde, quo argumento probabo non eſſe neceſſariam, ſaltem in omni oratione: genus demonſtratiuum, vt aperte docet M. Tullius, non In part. *admittit confirmationem, ſed ſolam rerum quȩ laudantur exornationem: ſimiliter in genere deliberatiuo, vbi de rebus agitur futuris, non eſt opus confirmatione; cum ſolum quæ præceſſerunt, aut extant, confirmentur, aut reprobentur: non erit igitur in omni cauſſarum genere neceſſaria, quod tamen omnes Magiſtri docent.*

Præterea, aſſeruit conſtanter, & vere Ariſtoteles, cuius nos doctrinam ſuperius approbauimus, in omni oratione neceſſariam eſſe confirmationem: at id bonorum auctorum vſu falſum eſſe demonſtratur, cum reperiantur perfectȩ orationes ſine vlla confirmatione, vt ſpeciatim ex quarta, & ſexta Antoniana cognoſcere

licet,

licet, in quibus confirmationis locum obtinent narrationes: male igitur cum Ariſtotele, nos aliter docuimus.

Poſtremo, aliquam rem confirmare, eſt eam probare, & demonſtrare, quod eſt Dialectici, & Philoſophi proprium, ſicut Oratoris eandem exornare dicendo: non erit igitur confirmatio oratoriæ orationis pars. Atque his rationibus rem propoſitam in dubium reuocaſſe ſufficiat: nonnullas alias quas afferre potuiſſem, ſolertibus iuuenum ingenijs excogitandas relinquo.

De hac parte diſputant omnes huius artis ſcriptores, Ariſtoteles libro tertio ſuę rhetorices, Auctor Herennianus libro ſecundo, Mar. Tullius, de inuentione, & in partitionibus, Trapezuntius libro primo, Conſultus libro ſecundo, Fabius libro quincto, & Lullus libro tertio de oratione. Vt huic propoſitę difficultati ſatisfaciamus, quędam nobis iacienda ſunt fundamenta.

Primum fundamẽtum, hęc pars, tum apud Latinos, tum apud Grecos varia eſt ſortita nomina. Latini, contentionem, confirmationem, probationem, aggreſſionem, & argumentationem, quo nomine vſus eſt Chirius, appellant: Gręci πίςωσιν, id eſt, fidem, ἀπόδειξιν, id eſt demonſtrationem, & ἀγῶνα, hoc eſt, certamen:

appoſite

appoſite quidem, cum in hac parte, quaſi certamen quoddam intercedat: hic enim omnis poſita eſt vincendi ſpes, ac proinde ſtrenue certandum ac deſudandum eſt. Quidam inter Latinos libentius communi nomine, contentionem & probationem appellant, vt eam commodius in duas partes diſtribuant, in confirmationem, quam Grçci κατασκευὴν *nominant, & confutationem, a Grçcis* ἀνασκευὴ, *dicta. An autem confutatio ſit pars a confirmatione diſtincta, infra ſuo loco examinabitur: nunc pro certo habeatur, ex his duabus vnam integram conſici orationis partem, quam probationem, vel contentionem appellares, & hunc in modum cum Trapezuntio deſcriberes, Contentio eſt oratio qua rem noſtram aduerſariorum ſolutis, ordine comprobamus: vel hoc modo, Contentio eſt pars orationis in qua certa argumentorum tractatione, aliquid confirmamus, aut refellimus. Confirmatio autem, vt Herenniano auctori placet, eſt argumentorum noſtrorum expoſitio cum aſſeueratione: inquit, cum aſſeueratione, hoc eſt, vt quidam exponunt, cum inſtantia quadam, & vocis, vultuſque actione: quæ, vt Quinctilianus ſcribit, tantam vim habet, vt interim plus ipſis probationibus ualeat: et alio loco, aſſeuerationem probationem quandam eſſe ait. Per aſſeuerationem igitur hic au-* Io. Cęſ. tract. 5. c. 10. Lib. 11.

ctor

ctor videtur diſtinguere confirmationem a narratione, vbi ſine contentione exponimus. At Cicero hoc pacto, & melius, Confirmatio eſt, per quam argumentando noſtræ cauſſæ fidem, auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Inquit argumentando, vt eam diſtinguat a narratione, vbi fit fides, ſed exponendo. Quid autem ſit refutatio, poſtea in priuata diſputatione docebo.

Li.1. de Inu.

Victor Cęſare.

Secundum fundamentum, in quo breuiter ea omnia, quæ ad huius partis explicationem pertinent, explanabo. Cum itaque confirmatio in aliqua re dubia comprobanda ſit occupata, habebit, pro ſubiecta materia quæſtionem aliquam, ex partium conflictione exortam, quæ ſtatus appellatur. Et quoniam nulla quæſtio probari poteſt, niſi adhibito argumento, hoc eſt, aliquo probabili inuento apto ad faciendam fidem, & ad id demonſtrandum, quod in dubitationem venit; ideo probare volenti, inuenienda ſunt argumenta, quæ latent in locis. Et quoniam ſi quis argumentum inueniret, & illud ad probandum non accommodaret, perſuaderet nihil; propterea adhibenda eſt argumentatio, hoc eſt argumenti vna cum quæſtione propoſita, certa quadam ratione, explicatio, & tractatio, qua id concluditur, quod in quæſtione propoſitum fuerat. Quo fit, vt in argumentatione

duo

duo ſpectari poſſint; & materia, quæ eſt quæſtio illa propoſita, & argumentum, quod Dialectici medium vocant, & forma, illa nimirum ſubiecti, & attributi quæſtionis, atque argumenti diſpoſitio. Ex quibus colligere licet, tria eſſe cognitu neceſſaria ei, qui aliquid probare voluerit; quid, & quotuplex ſit quæſtio ſiue ſtatus: qui ſint loci vnde eruuntur argumenta ad quæſtionem probandam: & quæ ſit argumentandi forma, quæ duplex eſt, altera dialectica, altera oratoria: quæ, & ſi in ſubſtantia non differant; tamen tractatione nonnihil diſcriminis habent: quamuis Orator etiam dialectica diſſerendi forma, ſed copioſius, atque vberius, quam Dialecticus, vtatur; ac propter ea vtramque cognitam atque perſpectam habere debet. Verum, cum Oratori non ſatis ſit probare, ſed etiam, quantum in ſe eſt, flectere & quo vult animos auditorũ impellere debet, idcirco præter argumenti tractationem, quaſdam adhibet amplificationes, & illuſtrationes, quibus rem iam probatam amplificat, & amplificando mouet. De ſtatibus ergo, de locis, de formis argumentationis, atque de argumentorum illuſtrationibus, in hac parte explicanda, qui diligentius dicendi artem ſcribunt, agere cõſueuere. Nos autem, cum ſeorſim de ſtatibus integro libro diſputaturi ſimus, & de locis in

libris

libris de inuentione copioſe egerimus, hic ſola ſtatuum, & locorum enumeratione, ne opus imperfectum uideatur, contenti erimus. Quod autem ad argumentationis tractationem attinet, quæ proxime ad oratoriam diſpoſitionem pertinent, ea proſequemur; qua de re in citato libro nonnihil ſcripſimus. Cum itaq; hæc omnia quæ vniuerſe propoſita ſunt, explicuerimus, nihil quod ad hanc partem probe cognoſcendam pertineat, deſiderabitur.

Ari. Cic. in Part. *Rurſus animaduertendum eſt, fidem ſeu probationem eſſe duplicem: alteram artis expertem, quæ argumenta extrinſecus ſumit: alteram artificioſam, quæ vi artis argumenta ad probandum inuenit. Probationum vero, quæ ex arte petuntur, aliæ ab Oratore ſumuntur, quæ ethicæ, id eſt morales vocantur: aliæ in auditore ſpectantur, quæ patheticæ nominantur: aliæ denique ex re ipſa eruuntur, quas logicas appellant, & hæ in inuentionis locis deliteſcunt: de quibus omnibus aliquid nobis dicendum erit. Hęc tria probationum genera conducunt ad illa tria efficienda, quibus omnes ad* Libro 2. orat. *noſtram ſententiam, vt Cicero ſcribit, perducimus, aut docēdo, quod logicis, aut conciliando, quod ethicis, aut permouendo, quod patheticis fit probationibus. Verum, vt idem ait, vna ex tribus his rebus res, præ nobis eſt ferenda, vt*

nihil

nihil aliud, niſi docere velle videamur: reliquę duæ, ſicuti ſanguis in corporibus, fuſæ eſſe debebunt; & alio loco, Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa; vt probemus vera eſſe ea, quæ defendimus; vt conciliemus nobis eos, qui audiunt; vt animos eorum ad quemcunque cauſſa poſtulabit motum vocemus. His ita adnotatis, ex quibus quid ſit probatio, quę eius munera, quæ partes, quæ materia, & quidve de ea nobis dicendum ſit, patet, ad ipſas poſitiones pergamus.

Prima poſitio, contentio, ſeu probatio, & confirmatio eſt orationis pars.

Primum hæc poſitio omnium Rhetorum, nemine diſcrepante, approbatur calculo. Deinde, quia per hanc potiſſimum partem ſuum finem conſequitur Orator, cum perſuaſio proprius ſit probationis effectus: quare, cum a fine artis partium orationis ſumenda ſit neceſſitas, hęc profecto maxime neceſſaria erit. Denique, reliquæ orationis partes huc referuntur, vt aliquid probemus; igitur. Ideo enim exordimur, narramus, & proponimus, vt auditor ad hanc partem audiendam, & excipiendam ſit idoneus: Et in epilogo, quæ iam confirmauimus, ideo repetuntur: vt quaſi alia breuis fiat confirmatio. Eſt itaque hęc pars, veluti totius orationis corpus, cuius caput eſt exordium, quaſi col-

lum narratio, & veluti pedes & terminus epi logus.

Secunda poſitio, inter orationis partes præcipua eſt confirmatio, ſiue contentio, & probatio. Patet hęc poſitio ex ſuperiore; quia aliæ partes ad hanc referuntur, & per hanc pręcipue finem attingimus: in hac eloquentiæ nerui contenduntur: in hac quidquid eſt ingenij, & artis adhibetur: in hac inuentio, in hac diſpoſitio, in hac elocutio & pronunciatio vim exercent ſuam: hic docemus, hic mouemus, hic delectamus. Quorſum tanta diligentia auditorem beneuolum, attentum, & intelligentem facimus, niſi vt in hac parte eum in noſtram trahamus ſententiam? niſi, vt vel inuitum ſeſe nobis dedat? & id ſi fecerit, quid opus eſt peroratione? Poſſunt ergo interdum aliæ partes abeſſe, hęc vero nunquam. In hac igitur parte excolenda & tractanda, omnis labor, omnis diligentia, ſtudium denique omne collocandum erit.

Tertia poſitio, confirmatio in omni genere orationis eſt neceſſaria. Manifeſta eſt doctrina; quia, vt paullo ante dicebamus, eſt veluti orationis corpus, quo remoto, nulla prorſus conſiſtere poteſt oratio. Verū tamen eſt, quod pro diuerſo cauſſa non genere, varie adhibenda eſt.

Quarta poſitio, quamuis confirmatio propria eſſe videatur actoris, & confutatio defenſoris

ſoris: tamen ille interdum confutat, & hic refellit. Doctrina eſt certiſſima, quæ nulla probatione indiget.

Quinta poſitio, actor a confirmatione ſuam contentionem exorditur, & ad confutationem procedit, ſi facilius ſit ſua probare, quam aliena confutare, ſecus a confutatione: defenſor vero a confutatione ad probationem progreditur. Communis eſt præceptio, communi auctoritate firmata, & per ſe ſatis perſpicua.

Sexta poſitio, ex tribus dicendi generibus, in contentione adhibendum eſt genus ſublime, & exageratum: Quod hac poſitione docetur, ita eſt per ſe manifeſtum, vt nulla probatione ſit opus. Quæ autem diximus omnia rurſus confirmabuntur, ſi allata argumenta refutauerimus.

De primo, in confirmatione docemus, dum rem probamus: mouemus ac delectamus, cum amplificationes adhibemus: quare omnia in contentione ſua exercet Orator officia. Et eſto, quod ſimul docere, & mouere non poſſimus, quod tamen aliquo pacto fieri poteſt: tamen in vna contentionis parte docemus, dum tractamus epicheremata, & locos; mouemus autem dum ea amplificamus.

De ſecundo, in genere laudatiuo opus eſt interdum aliqua probatione, vt ſi dubium eſſet

id, quo de agimus, vel non tantum eſſe cenſeretur, quantum eſſe nos demonſtrandum ſuſcepimus: & ipſa rerum amplificatio, quædam eſt earum demonſtratio, ac probatio. Quod autem ait Tullius, non eſſe in hoc genere probatione opus, intelligendum eſt, de eo probationis genere, in quo magis argumentorum vi, quam amplificatione rem tractamus. Quod dicitur de genere deliberatiuo, eſt manifeſte falſum; quia poſſumus probare, an aliquid ſit futurum vtile, vel inutile: an faciendum, aut non faciendũ.

Tertij facilis eſt ſolutio; nanque narrationes illæ locum tenent confirmationis: quoniam dum Orator ibi recenſet quæ geſta ſunt, demonſtrat Senatoribus quid ſtatuendum, agendumque ſit.

Poſtremum facile dilueres, negando eſſe Dialectici proprium rem aliquam confirmare: cum finis Oratoris ſit perſuadere, quem ſine probatione attinget nemo.

Quid & quotuplex ſit ſtatus. Diſputatio XVI.

INtegro libro, multis diſputationibus, alias, fauente Deo, de ſtatibus, quorum tractatio, vt eſt perdifficilis, ita ad orationes conficiendas, &

ab

ab alijs factas recte intelligendas eſt maxime neceſſaria, diſputaturus, in præſentia hac de re ſummatim ſcribam; vt id in quo omnis confirmatio, & confutatio verſatur, intelligi poſſit. Omni itaq; diſceptatione remota, quid & quotuplex ſit ſtatus paucis exponam. M. Nic. li. 2. c. 7. Nic. Bie. li. 1. c. 4.

Status, ſiue conſtitutio, eſt id, de quo eſt controuerſia, vel cauſæ caput, & ſumma, ad quam omnia referuntur argumenta.

Eſt autem ſtatus triplex: vnus qui dicitur coniecturalis, cum per coniecturas quæritur, an aliquid factum ſit: vt, an Roſcius filius patrem occiderit; qui & inficialis ab inficiando nuncupatur: alter finitiuus, qui & legitimus dicitur, cum quid res ſit inueſtigatur; vt, an ſit læſæ maieſtatis crimen: tertius qualitatis, qui & iuridicialis vocatur, cum quale ſit factum ambigitur: an iure, an contra ius: vt an iure Milo occiderit Clodium. Cum ergo tria ſint quæ de re aliqua quæri poſſunt, an ſit, quid ſit, & qualis ſit, tres etiam erant ſtatus, ſeu quæſtiones, ad quas, quidquid ab Oratore tractatur, reuocare licet.

Oriuntur ſtatus ex intentione accuſatoris, & ex depulſione, ſeu defenſione rei, ſeu patroni, hoc modo. Occidiſti, o Roſci, patrem: non occidi, inquit ipſe; oritur coniecturalis quæſtio, an occiderit. Feciſti Sacrilegium Saturnine, Non

ſacrilegium, ſed furtum, reſpondet: vnde naſcitur quæſtio, quid ſit id quod fecit. Interfeciſti Clodium Milo; ita, ſed iure: quæritur, an iure. In ſtatu qualitatis reus ad ſe defendendum aliquid affert: vt, homicidium feci, ſed iure feci, & id appellatur, Ratio: quod autem ab aduerſario ad rationem infirmandam opponitur, Firmamentum vocatur: vt nō licet priuato homini aliquem occidere; ex quorum quaſi pugna, oritur, crinomenon ideſt, Iudicatio, & diſceptatio, quæ in iudicium venit. At vero in ſtatu coniecturali, quia reus ſola inficiatione ſe tuetur, idem erit ſtatus, & quæſtio, ſiue iudicatio.

Status coniecturalis loci, vt eos breuiter attingam, ſunt, voluntas, & facultas: voluntas continet perſonæ qualitatem, & cauſſam impellentem ad faciendum; vt ſunt affectus, hoc eſt, amor, ira, &c. & ratiocinatio, ideſt præmium, commoda, vtilitas, &c. facultatis loci, ſunt ſigna, & rerum circūſtantiæ, antecedentia, & conſequentia, &c. qui defendit, hæc ſoluet, vel inuertet.

In ſtatu definitiuo, noſtra definitio ex recta definiendi ratione confirmanda erit, & aduerſarij confutanda, ex ijs quæ in facto cernuntur. Loci ſtatus qualitatis, ſunt, natura, lex, conſuetudo, æquum, iudicatum, pa-

ctum,

ctum, &c. quos locos facile in Miloniana obſeruares orationes.

Status qualitatis duplex eſt: alter abſolutus, alter aſſumptiuus: Abſolutus eſt, cum ad eius defenſionem nihil extrinſecus aſſumitur: Vt ecce, fatetur Cicero in Ligariana, Ligarium fuiſſe in Aphrica, quod factum defendit ex eo, quod ſua natura non eſſet malum: Fatetur pater verberaſſe filium, quod parenti filium caſtigare liceat. Aſſumptiuus, cum factum per ſe eſt improbabile, ac proinde extrinſecis præſidijs ad ipſum defendendum opus eſt: cuius quattuor ſunt partes.

Prima, conceſſio, cum reus fatetur factum, ſed ſibi ignoſci poſtulat, per purgationem, cum data opera, & dolo ſe feciſſe negat, & ita voluntatem excuſat, ſed factum, in neceſſitatem, in fortunam, & in imprudentiam reuocat; & per deprecationem, cum miſericordiam petit, quod conſulto rem factam fuiſſe conſtet; vt artificioſiſſimus Vates Pſalmo quinquageſimo fecit.

Secunda, relatio, ſeu translatio criminis, cum reus ſe feciſſe fatetur, ſed coactus, laceſſitus, & ita crimen in aliam perſonam transfert: vt ſi Imperator defenderet ſe, quod militem occiderit, quia in acie exclamauerit.

Tertia, comparatio, cum reus ita ſe defen-

dit, quod ſibi neceſſarium fuerit alterum e duobus facere, & ſe id feciſſe ait, quod ſatius fuit: vt ſi dux defenderet ſe, quod fugam arripuerit, quod nulla ſpe victoriæ obtinendæ, ob loci importunitatem, manus conſerere non potuerit.

Quarta, remotio criminis, cum a nobis non factum, ſed culpam, & facti cauſſam amouemus; quam in legem ipſam, vel in aliquam perſonam cuius imperio nos feciſſe dicimus, conferimus. Seruilius Hala Sp. Melium interfecit, ſed Dictatoris imperio. Diſcrepat remotio a relatione, quod hic tota penitus culpa tollatur, ibi vero imminuatur.

Rurſus, ſtatus in duas diſtribuuntur partes: nam alij dicuntur rationales, vt omnes ij, quos hactenus explicuimus, qui ex re ipſa naſcuntur: alij legales, qui ex lege, vel ſcripto oriuntur, quorum quattuor ſunt ſpecies.

Prima contrariarum legum, cum duæ leges inter ſe diſſentire videntur: vt, Deus tentauit Abraham. Deus neminem tentat: Fur ſuſpendatur, fur quadruplum reſtituat. Ad hanc quæſtionem diſſoluendam confert diſtinctio, quæ ſępe eſt commentarij loco.

Secunda quę oritur ex ſcripto, & ſcribentis ſententia. Lex eſt, quæ legatis ferro interemptis, ſtatuam poni decernit, Ser. Sulpitius in

legatione,

legatione, non ferro, ſed legationis laborē perijt; quæritur, an legis verba, an legislatoris voluntas ſpectanda ſit. Huc pertinet illud, quod eſt in ſacris literis, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Tertia, ratiocinatio, cum id, quod non eſt in lege expreſſum, ob ſimilitudinem, ex alijs legibus colligitur. Qui patrem occidit, parricidæ pœna punitur; quid ſi propinquum? Lex prohibet extra territorium efferre lanam; quid ſi quis oues extrahat.

Quarta, ſtatus ambiguus, cum ex ambigua & dubia ſcriptura oritur controuerſia: vt ecce, quidam legauit amico Gallum, hæres dat gallum gallinaceum: at legatarius petit ſeruum nomine Gallum.

Denique, alius eſt ſtatus, qui translationis, ſeu commutationis vocatur; cum reus litem fugiendo, negat ſe debere accuſari apud hunc iudicem, hoc loco, vel tempore hac, vel illa lege, &c. Quinct. libro 3. cap. 6.

Atque hæc breuiter de ſtatibus dixiſſē ſufficiat: antequam tamen huic diſputationi finem facio, illud breuiter, adnotauerim, quod ad orationis diſpoſitionem, & ad ſtatuum vſum pertinet, quamcunque orationem, de ſimplicibus loquor, quæ vnum ſtatum continent, vnica poſſe ratiocinatione compre-

bendi, cuius concluſio ſtatus dicitur; vt alias cum de ratione inueniendi ſtatus agam, latius demonſtrabo: ad quam ratiocinationem confirmandam reuocantur quotquot in oratione probationes fiunt. Vt ecce in Miloniana, quæ hac ratiocinatione continetur, inſidiatorem & ſceleratum hominem licet occidere: at Pub. Clodius fuit inſidiator, & ſceleratus: igitur Clodius iure Cęſus fuit: hinc patet ſtatus qualitatis, an iure Clodius occiſus fuerit. Huius ratiocinationis propoſitio, quod liceat inſidiatorem occidere, probatur populorum, iudiciorum, & legis auctoritate: nec reclamant vlla, aut ſenatus, aut Pompeij decreta. Redditio, ſiue ſumptio, probatur ex his locis, A voluntate, odio, improbis moribus, & ſpe impunitatis facti Clodij: Quod ipſius dictis, & factis intellectum eſt. Quod fuerit ſceleratus, id eius facinora in Deos, & homines declarant. Ei itaque, qui aliquam voluerit orationem conficere, prius eius rei, quam vult dicendo explicare, ſtatus ſpectandus erit, vt eo cognito, ad argumentorum inuentionem poſſit ſe conferre: quæ cum debeant eſſe cauſſæ accommodata, nunquam idonee inueniri poterunt, niſi ſtatus omnino perſpectus fuerit. Secus qui faciunt, ſine arte & temere agunt, & multa præter rem imprudenter,

denter, & pueriliter dicunt. Quare cum ſine locis nihil probari poſſit, & rationes idoneæ inueniri nequeant, niſi ſtatus prius innotuerit, neceſſaria profecto erit ſtatuum notitia. Cum igitur, inquit Antonius, accepto cauſſæ genere, & cognito, rem tractare cœpi, nihil prius conſtituo, quam quid ſit id, quo mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit propria quæſtionis, aut iudicij: deinde illa duo diligentiſſime conſidero; quorum alterum commendationem noſtram, aut eorum quos defendimus: alterum eſt accommodatum ad eorum animos apud quos dicimus, ad id quod volumus, commouendos. Ex quibus illa tria Oratoris munera, de quibus quæſtione decimaquincta diximus, quæ ſunt probare, conciliare, & permouere naſcuntur. Cum ergo tres ſint artis rationes, vna conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum; de locis qui valent ad docendum, ſtatim dicam; de ijs rebus quæ valent ad conciliandum, cum de morata agam oratione; de ijs vero quæ ad permouendum conferunt, cum de indignatione & conqueſtione in vltima diſputatione, ſcribam.

Li. 2. de Orat.

De

De locis vnde argumenta ad rem confirmandam petuntur. Diſputatio XVII.

M. Nic. li.2.c. 8. Aug. Valer.c.26. Cic. in Top.

CVm ergo huius partis in qua explicanda verſamur, ſubiecta materia ſiue ſcopus, ſit quæſtio, ſiue cauſſæ conſtitutio; queſtione propoſita, cauſſaue conſtituta ſtatim is, qui orationem eſt habiturus ſe ad argumentorum inuentionem conferet, quæ in locis, veluti in quibuſdam ſedibus, inueniet: eſt enim locus argumẽti ſedes, et nota, ſic per metaphorã, ſeu catachreſin dictus, quod argumenta indicet & contineat: cuius in topicis nullam diuiſionem attulit Ariſtoteles, nec etiam certa methodo de locis diſputauit: & non tam locos expoſuit, quam pronunciata quæ, maximas appellant. In Rhetoricis duo fecit genera, cuius doctrinam Cicero & poſteriores omnes ſunt ſecuti.

Locorum ergo, alij ſunt artificioſi & inſiti, qui ab arte excogitantur, & in re ipſa ſunt; vt definitio, totum, & cauſſa: alij inartificioſi, & aſſumpti, ſiue remoti, qui ſine arte extrinſecus petuntur: vt, teſtimonium, & tormenta. De illorum numero, non eſt certa ſententia. Themiſtius vigintiſex numerat, Cicero decem

& octo Rodolphus vigintiquattuor, Ramus decem, Palmyrænus quattuordecim, Ariſtoteles vero, aliquando tres adnotauit locos, antecedentium, conſequentium & repugnantium: Denique alij, vt Hermogenes & Trapezuntius omnes locos ad ſeptem circunſtantias reuocarunt. Et vt in numero differunt, ita etiam in modo numerandi diſſentiunt auctores. Nos, quoniam in præſentia ſolum locos numerare, et vno, vel altero exemplo eos explicare volumus, nec de certo numero, nec de ordine erimus ſoliciti.

Primus ergo locus ſit etymologia, ſeu notatio, nominis definitio, interpretatio, & origo; vt Philoſophus eſt, igitur ſapientiæ cupidus: homicida appellatur; igitur hominem occidit.

Secundus, a ſynonimis, id eſt a vocibus, quæ eandem ſignificationem habent; vt, hic eſt M. Tullius, igitur Cicero: hæc eſt veſtis, igitur & indumentum.

Tertius, a definitione, quæ eſt oratio, quę rei naturam dilucide breuiterque exponit: cuius variæ enumerantur formæ. Quidam quinque faciunt genera: primum conſtat ex genere & proprietate: ſecundum, ex genere & vna, vel pluribus cauſſis, quæ loco differentiæ ponuntur: tertium, ex genere & effectis; vt iu-

ſtitia

ſtitia eſt virtus, quæ ſuum cuique tribuit: quartum, ex genere & partibus præcipuis, vt Rhetorica eſt, facultas, quæ ex quinque magnis conficitur artibus, inuentione, diſpoſitione, & alijs: poſtremum, ex genere, & accidentibus, vt aqua eſt elementum frigidum & humidum. Verum definitiones, quæ dantur per effectus & accidentia, communi nomine, deſcriptiones vocantur, cum rem demonſtrent per ea quæ non ſunt naturæ, vnde alius conficitur locus. A definitione, hoc modo ducitur argumentum, animal rationis particeps eſt factum ad beatitudinem, igitur & homo: vel a definito, ad definitionem, Homo eſt corruptioni obnoxius igitur & animal rationis particeps. Huc reuocares locum a differentia: vt, rationis capax eſt aptum ad diſciplinam, igitur, & homo.

Cic.li.1. oratorio

Quartus a deſcriptione; vt, homo eſt animal quod admiratione afficitur, igitur ad rerum cauſſas inquirendas ſeſe conuertere poteſt. Huc refertur locus a proprietate: vt, terra eſt maxime grauis, igitur deorſum fertur.

Quinctus, a toto & partibus: eſt autem totum multiplex: Totum vniuerſale, quodcunq; nimirum ſuperius ratione ſuorum inferiorum, vt animal ratione bruti & hominis: bonum, ratione honeſti, vtilis, & delectabilis. A toto

to ad partes; a bono afficitur, igitur, vel ab honeſto, vel ab vtili, vel a delectabili: a parte, honeſtatem quærit; igitur bonum expetit. Totum quantitate, quod eſt quodcunque ſuperius cum ſigno vniuerſali, ratione ſuorum inferiorum; vt omnis virtus, omne bonum. A toto ad partes, Deus dat nobis omne bonum; igitur & honeſtam, & vtile & delectabile: eſt omni virtute præditus, igitur & iuſtitia. A partibus, homo habet ſenſum videndi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, & tangendi, igitur omnes ſenſus habet. Totum integrale, eſt quodcunque corpus ratione ſuarum partium; vt domus, corpus humanum, quod conſtat capite pectore, ventre, alijſque partibus; quarum aliquæ ſunt neceſſariæ ad cõſtitutionem totius, aliæ vero ad perfectionem. A toto ad partes, domus eſt; igitur, & fundamenta, & parietes ſunt: a partibus, ſunt fundamenta, parietes, et tectum, igitur & domus. Totum in modo, eſt quoduis vocabulum ratione ſui cum aliqua reſtrictione ſumptum: vt, homo, & homo ſapiens, quæ dicitur pars in modo. A toto ad partem, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, igitur & homines peccatores: caritas chriſtiana diligit omnes, igitur & inimicos. A parte ad totum, iuſti, ſalutem conſequentur, igitur aliqui homines beati erunt. Totum in tem-

pore

pore eſt aduerbium, quod vniuerſaliter tempus ſignificat, vt ſemper, nunquam. A toto, Deus ſemper fuit; ergo & ante mundi creationem: Eccleſia nunquam defecit; igitur nec tempore quo Chriſtus mortuus eſt: Nunquam fides ſola hominem iuſtum fecit; ergo nec ante Chriſti aduentum, nec poſt Chriſtum natum. A parte, Petrus aliquando fuit Romæ; mentiuntur igitur qui dicunt nunquam Romę fuiſſe. Totum in loco, eſt aduerbium, quod vniuerſe locum ſignificat: ut, vbique, nullibi. A toto, Deus eſt vbique, igitur & in templo: In omnem
Rom. 9. *terram exiuit ſonus eorum; igitur & in Galliam, & ad Indos. A parte, Angelus eſt in Cælo, igitur non nullibi eſt: Dęmon non eſt in Cælo igitur non vbique eſt. Hunc locum, Rhetores vocarent, a genere & a forma, excepto, toto integrali; quem a partium enumeratione appellarent.*

Quinctus a cauſſis; cauſſa autem eſt id, cuius vi efficitur aliquid. Cauſſarũ quattuor ſunt genera, materia, forma, finis, & efficiens. Conficiens cauſſa eſt ea, quæ ſua ui efficit aliquid, vt ſol diem. Cauſſæ efficientes, vel neceſſario agũt, & hoc, vel naturæ ui, id eſt, facultate rei ad agendum inſita; quo modo ignis tendit ſurſum, & aqua calefacit: vel conſilio, & voluntate, vt creatura rationis particeps: a qua cauſſa

potiſſi-

potiſſimum pendet coniecturæ ſtatus, & cauſſa deliberatiua. Rurſus, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ ſolę aliquem producunt effectum, qui ab alijs produci nequit; vt ſol diem: aliæ ſufficientes, quæ poſitę effectum producunt, qui tamen aliunde eſſe poteſt: quo modo iugulatio eſt cauſſa mortis. Rurſus, alia actu agit, vt qui ædificat; alia agere poteſt, vt homo arte medendi præditus, qui ſanare poteſt. Rurſus aliæ dicuntur cauſſæ procreantes, vt parentes, artifices, & ſummus rerum omnium opifex Deus: aliæ conſeruantes, vt iuſtitia quæ conſeruat leges, & leges remp. aliæ corrumpentes: item, aliæ efficientes ſolæ, aliæ cum alijs, quæ adminiſtræ & iuuantes nominantur. Denique, aliæ dicuntur cauſſę per ſe, quæ ſua ui efficiunt aliquid, aliæ per accidens, vt neceſſitas, fortuna, caſus, & occaſio, quæ ex ſe nihil efficiunt. Poteſt autem vna & eadem cauſſa plurium cauſſarum habere rationem: vt, animus eſt forma hominis, & eſt efficiens actionum vitæ: & quæ erat effectus, poteſt alia ratione dici cauſſa: forma eſt effectus agentis, ſed eſt cauſſa rei genitæ. Similiter vnius effectus plures poſſunt eſſe cauſſæ, vna propinqua, & alia remota: Vt belli Troiani, raptus Helenæ, profectio Græcorum in Aſiam, & eorum congreſſus cum Troianis. Vna cauſſa efficiens ratione

tione materiæ in quam agit, contrarios poteſt producere effectus: Eadem Chriſti concio, quoſdam ad meliorem frugem conuertebat, quoſdam magis obdurabat: Sol liquefacit ceram, lutum indurat. Ab hac cauſſa hæc petuntur argumenta: ſol ortus eſt, igitur dies eſt: Chriſtus reſurrexit, igitur & nos reſurgemus; cum eius reſurrectio ſit cauſſa efficiens reſurrectionis noſtræ. Eſt optima natura, arte, & exercitatione præditus, poteſt igitur apte ad perſuadendum dicere. Hic mundus eſt ab optimo, ſummoque artifice effectus, bonus igitur; ſiquidem attributa cauſſarum efficientium, ipſis effectis tribuere licet. Volui hanc cauſſam paullo fuſius exponere, quod ex ea pulcherrimę ſumantur amplificationes.

Finis eſt id, cuius gratia aliquid fit; quæ eſt cauſſarum præcipua, vnde omnis agendi ſumitur ratio: ſcientia eſt finis ſtudiorum, ſtudiorum beata vita, & belli pax. Eſt autem finis duplex, alter ſummus, ſeu perfectus & vltimus, qui per ſe expetitur, vt eſt cuiuſque rei ſtatus, & conſummata perfectio: vt hominis beata vita; belli pax & concordia: alter deſtinatus, ſeu conferens, qui ad ſupremum conſequendum comparatur; vt ſumptionis medicinæ, valetudo; veſtium, vitæ conſeruatio. Deſtinatorum, alij ſunt priores, alij poſteriores, Ari.li. 1. Eth. c. 1.

quorum

quorum cauſſa illi ſuſcipiuntur. Finis artis, quæ conficit frænum, refertur ad æqueſtrem, æqueſtris ad militarem, & militaris ad politicam. Hinc argumenta ducuntur a bono, & malo fine, ad bonitatem, & vitium eorum, quæ ſunt ad finem: & qualis eſt finis, talia debent eſſe deſtinata; quæ ſi non ſint idonea ad acquirendum finem, reijcienda ſunt. Vis ad vitam ingredi, ſerua igitur mandata: vis in foro cauſſas agere, da igitur operam eloquentiæ, igitur barbariem, & infantiam vita: ſi malum adulterium, igitur & nuptas ſolicitare malum: vitam tueri licet; igitur & arma ferre.

Forma eſt per quã res eſt id, quod eſt, & ab alijs diſtinguitur. Duo itaque munera præſtat forma; ex quibus illud etiam conſequitur, vt vim agendi tribuat. Eſt autem forma duplex, altera, quæ eſſentialis dicitur, quę rem in certa natura conſtituit; vt eſt anima in homine: altera accidentalis, quæ eſt extra rei naturam, vt, ſunt accidentia omnia. Argumentamur a forma ad rem ipſam, & ad eius operationem: vt, adfuit legitimus inter virum & vxorem conſenſus; igitur factum eſt matrimonium: eſt bene rotundatum, voluetur igitur bene: canis non eſt mente præditus, non eſt igitur homo, nec cogitare poteſt. Verum, cum rerum formæ, figuræque, vel nos lateant, vel nomina propria

ad eas explicandas nobis deſint, non eſt ita in vſu, & ad amplificandum ita accommodatus hic formæ locus.

Materia eſt ex qua res conficitur, vt ex verbis oratio, ex elementis miſtum, ex ligno tabula, & ex vaporibus humidis pluuia. Eſt autẽ materia, vel permanens, vt eſt ea in quam, res ex ea confecta redire poteſt: vt, domus, in lapides, miſtum in elementa: vel non permanens, in quam, quod ex ea fit, redire nequit: vt panis ex farina, in quam non redit, cum ſit eius mutabilis materia. Ex hoc loco hæc petuntur argumenta: eſt farina, igitur panis fieri poteſt; farina non fuit, igitur panis non eſt: eſt domus; igitur & lapides. Et a conditione materiæ; eſt vas vitreum, corruptibile igitur. Atq; hæc de cauſſis, plura qui cupit, noſtrum legat Io.Argẽ. *de Inuentione opus, & eos, qui ex profeſſo de* Ia.Acõt. *cauſſis diſputarunt, & ſpeciatim ſecundo phyſico Philoſophos.*

Sextus locus ab effectis; effectum, ſeu effectus eſt id, quod ex cauſſa exiſtit, vel ortum habet; a M.Tullio euentus, euentum, effectus, & effectum uocatur: vulgo cauſſatum, actio, opus, actus, & effectio. Tot autem ſunt effectorum genera quot cauſſarum, cum omnes cauſſæ ad effectum producendum adhibeantur. Conſiderantur autem non ſolum effecta præterita, vel

inſtantia,

inſtantia, ſed etiam quæ eſſe poſſunt. Ab hoc loco hæc ducuntur argumenta, Dies eſt, igitur ſol ortus eſt: ferre arma licet, igitur & iniuriam propellere: bene voluitur, igitur eſt bene rotundatum: ratiocinatur, igitur eſt ratione præditus: gladius eſt, igitur & ferrum. Ex hoc loco frequenter ſumuntur amplificationes.

Septimus a ſubiectis & adiunctis: ſubiectum eſt id cui aliquid adiungitur, & adhæret: vt, animo, virtutum & ſcientiarum habitus: corpori, ſanitas, morbi, robur, imbecillitas, pulchritudo, &c. Homini, laus, honor, diuitiæ, veſtimenta, &c. Huc referres ſubiecta, vel obiecta habituum, & facultatum, quæ ſua habent obiecta, quæ Lactantius, efficientia vocat, quod ſentiendi facultates moueant. Adiunctum eſt, quod ſubiecto adiungitur: quo poſito, ſubiectũ ponitur, & contra, vno remoto, remouetur alterum; modo ſint adiuncta natiua, quæ rem neceſſario ſequuntur. Ignis eſt, igitur & calor: Idolum nihil eſt, non igitur vlla dat reſponſa: homo eſt, igitur libertate præditus. Lib. de opif. Dei cap. 9.

Octauus locus, a generatione, corruptione, & abuſu. Generatio eſt rei productio; corruptio, eiuſdem deſtructio: vſus verò, eſt quo re aliqua ad eum finem, ad quem eſt facta, vtimur. Cuius generatio bona, & ipſum bonum;

dit, quod ſibi neceſſarium fuerit alterum e duobus facere, & ſe id feciſſe ait, quod ſatius fuit: vt ſi dux defenderet ſe, quod fugam arripuerit, quod nulla ſpe victoriæ obtinendæ, ob loci importunitatem, manus conſerere non potuerit.

Quarta, remotio criminis, cum a nobis non factum, ſed culpam, & facti cauſſam amouemus; quam in legem ipſam, vel in aliquam perſonam cuius imperio nos feciſſe dicimus, conferimus. Seruilius Hala Sp. Melium interfecit, ſed Dictatoris imperio. Diſcrepat remotio a relatione, quod hic tota penitus culpa tollatur, ibi vero imminuatur.

Rurſus, ſtatus in duas diſtribuuntur partes: nam alij dicuntur rationales, vt omnes ij, quos hactenus explicuimus, qui ex re ipſa naſcuntur: alij legales, qui ex lege, vel ſcripto oriuntur, quorum quattuor ſunt ſpecies.

Prima contrariarum legum, cum duæ leges inter ſe diſſentire videntur: vt, Deus tentauit Abraham. Deus neminem tentat: Fur ſuſpendatur, fur quadruplum reſtituat. Ad hanc quæſtionem diſſoluendam confert diſtinctio, quæ ſępe eſt commentarij loco.

Secunda quę oritur ex ſcripto, & ſcribentis ſententia. Lex eſt, quæ legatis ferro interemptis, ſtatuam poni decernit, Ser. Sulpitius in

legatione, non ferro, ſed legationis labore perijt; quæritur, an legis verba, an legislatoris voluntas ſpectanda ſit. Huc pertinet illud, quod eſt in ſacris literis, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Tertia, ratiocinatio, cum id, quod non eſt in lege expreſſum, ob ſimilitudinem, ex alijs legibus colligitur. Qui patrem occidit, parricidæ pœna punitur; quid ſi propinquum? Lex prohibet extra territorium efferre lanam; quid ſi quis oues extrahat.

Quarta, ſtatus ambiguus, cum ex ambigua & dubia ſcriptura oritur controuerſia: vt ecce, quidam legauit amico Gallum, hæres dat gallum gallinaceum: at legatarius petit ſeruum nomine Gallum.

Denique, alius eſt ſtatus, qui translationis, ſeu commutationis vocatur; cum reus litem fugiendo, negat ſe debere accuſari apud hunc iudicem, hoc loco, vel tempore hac, vel illa lege, &c. Quinct. libro 3. cap. 6.

Atque hæc breuiter de ſtatibus dixiſſe ſufficiat: antequam tamen huic diſputationi finem facio, illud breuiter, adnotauerim, quod ad orationis diſpoſitionem, & ad ſtatuum vſum pertinet, quamcunque orationem, de ſimplicibus loquor, quæ vnum ſtatum continent, vnica poſſe ratiocinatione compre-

hendi, cuius concluſio ſtatus dicitur; vt alias cum de ratione inueniendi ſtatus agam, latius demonſtrabo: ad quam ratiocinationem confirmandam reuocantur quotquot in oratione probationes fiunt. Vt ecce in Miloniana, quæ hac ratiocinatione continetur, inſidiatorem & ſceleratum hominem licet occidere: at Pub. Clodius fuit inſidiator, & ſceleratus: igitur Clodius iure Cęſus fuit: hinc patet ſtatus qualitatis, an iure Clodius occiſus fuerit. Huius ratiocinationis propoſitio, quod liceat inſidiatorem occidere, probatur populorum, iudiciorum, & legis auctoritate: nec reclamant vlla, aut ſenatus, aut Pompeij decreta. Redditio, ſiue ſumptio, probatur ex his locis, A voluntate, odio, improbis moribus, & ſpe impunitatis facti Clodij: Quod ipſius dictis, & factis intellectum eſt. Quod fuerit ſceleratus, id eius facinora in Deos, & homines declarant. Ei itaque, qui aliquam voluerit orationem conficere, prius eius rei, quam vult dicendo explicare, ſtatus ſpectandus erit, vt eo cognito, ad argumentorum inuentionem poſſit ſe conferre: quæ cum debeant eſſe cauſſæ accommodata, nunquam idonee inueniri poterunt, niſi ſtatus omnino perſpectus fuerit. Secus qui faciunt, ſine arte & temere agunt, & multa præter rem imprudenter,

denter, & pueriliter dicunt. Quare cum ſine locis nihil probari poſſit, & rationes idoneæ inueniri nequeant, niſi ſtatus prius innotuerit, neceſſaria profecto erit ſtatuum notitia. Cum igitur, inquit Antonius, accepto cauſſæ Li. 2. de orat. *genere, & cognito, rem tractare cœpi, nihil prius conſtituo, quam quid ſit id, quo mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit propria quæſtionis, aut iudicij: deinde illa duo diligentiſſime conſidero; quorum alterum commendationem noſtram, aut eorum quos defendimus: alterum eſt accommodatum ad eorum animos apud quos dicimus, ad id quod volumus, commouendos. Ex quibus illa tria Oratoris munera, de quibus quæſtione decimaquinta diximus, quæſunt probare, conciliare, & permouere naſcuntur. Cum ergo tres ſint artis rationes, vna conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum; de locis qui valent ad docendum, ſtatim dicam; de ijs rebus quæ valent ad conciliandum, cum de morata agam oratione; de ijs vero quæ ad permouendum conferunt, cum de indignatione & conqueſtione in vltima diſputatione, ſcribam.*

De

De locis vnde argumenta ad rem confirmandam petuntur. Diſputatio XVII.

M. Nic. li.2.c. 8. Aug. Valer.c.26. Cic. in Top.

CVm ergo huius partis in qua explicanda verſamur, ſubiecta materia ſiue ſcopus, ſit quæſtio, ſiue cauſſæ conſtitutio; quæſtione propoſita, cauſſaue conſtituta ſtatim is, qui orationem eſt habiturus ſe ad argumentorum inuentionem conferet, quæ in locis, veluti in quibuſdam ſedibus, inueniet: eſt enim locus argumēti ſedes, et nota, ſic per metaphorā, ſeu catachreſin dictus, quod argumenta indicet & contineat: cuius in topicis nullam diuiſionem attulit Ariſtoteles, nec etiam certa methodo de locis diſputauit: & non tam locos expoſuit, quam pronunciata quæ, maximas appellant. In Rhetoricis duo fecit genera, cuius doctrinam Cicero & poſteriores omnes ſunt ſecuti.

Locorum ergo, alij ſunt artificioſi & inſiti, qui ab arte excogitantur, & in re ipſa ſunt; vt definitio, totum, & cauſſa: alij inartificioſi, & aſſumpti, ſiue remoti, qui ſine arte extrinſecus petuntur: vt, teſtimonium, & tormenta. De illorum numero, non eſt certa ſententia. Themiſtius vigintiſex numerat, Cicero decem

& octo Rodolphus vigintiquattuor, Ramus decem, Palmyrænus quattuordecim, Ariſtoteles vero, aliquando tres adnotauit locos, antecedentium, conſequentium & repugnantium: Denique alij, vt Hermogenes & Trapezuntius omnes locos ad ſeptem circunſtantias reuocarunt. Et vt in numero differunt, ita etiam in modo numerandi diſſentiunt auctores. Nos, quoniam in præſentia ſolum locos numerare, et vno, vel altero exemplo eos explicare volumus, nec de certo numero, nec de ordine erimus ſoliciti.

Primus ergo locus ſit etymologia, ſeu notatio, nominis definitio, interpretatio, & origo; vt Philoſophus eſt, igitur ſapientiæ cupidus: homicida appellatur; igitur hominem occidit.

Secundus, a ſynonimis, id eſt a vocibus, quæ eandem ſignificationem habent; vt, hic eſt M. Tullius, igitur Cicero: hæc eſt veſtis, igitur & indumentum.

Tertius, a definitione, quæ eſt oratio, quę rei naturam dilucide breuiterque exponit: cuius variæ enumerantur formæ. Quidam quinque faciunt genera: primum conſtat ex genere & proprietate: ſecundum, ex genere & vna, vel pluribus cauſſis, quæ loco differentiæ ponuntur: tertium, ex genere & effectis; vt iu-

ſtitia

ſtitia eſt virtus, quæ ſuum cuique tribuit: quartum, ex genere & partibus præcipuis, vt Rhetorica eſt, facultas, quæ ex quinque magnis conficitur artibus, inuentione, diſpoſitione, & alijs: poſtremum, ex genere, & accidentibus, vt aqua eſt elementum frigidum & humidum. Verum definitiones, quæ dantur per effectus & accidentia, communi nomine, deſcriptiones vocantur, cum rem demonſtrent per ea quæ non ſunt naturæ, vnde alius conficitur locus. A definitione, hoc modo ducitur argumentum, animal rationis particeps eſt factum ad beatitudinem, igitur & homo: vel a definito, ad definitionem, Homo eſt corruptioni obnoxius igitur & animal rationis particeps. Huc reuocares locum a differentia: vt, rationis capax eſt aptum ad diſciplinam, igitur, & homo.

Cic. li. 1. oratorio

Quartus a deſcriptione; vt, homo eſt animal quod admiratione afficitur, igitur ad rerum cauſſas inquirendas ſeſe conuertere poteſt. Huc refertur locus a proprietate: vt, terra eſt maxime grauis, igitur deorſum fertur.

Quinctus, a toto & partibus: eſt autem totum multiplex: Totum vniuerſale, quodcunq; nimirum ſuperius ratione ſuorum inferiorum, vt animal ratione bruti & hominis: bonum, ratione honeſti, vtilis, & delectabilis. A toto

to ad partes; a bono afficitur, igitur, vel ab honeſto, vel ab vtili, vel a delectabili: a parte, honeſtatem quærit; igitur bonum expetit. Totum quantitate, quod eſt quodcunque ſuperius cum ſigno vniuerſali, ratione ſuorum inferiorum; vt omnis virtus, omne bonum. A toto ad partes, Deus dat nobis omne bonum; igitur & honeſtum, & vtile & delectabile: eſt omni virtute præditus, igitur & iuſtitia. A partibus, homo habet ſenſum videndi, audiendi, olfaciendi, guſtandi, & tangendi, igitur omnes ſenſus habet. Totum integrale, eſt quodcunque corpus ratione ſuarum partium; vt domus, corpus humanum, quod cōnſtat capite pectore, ventre, aliiſque partibus; quarum aliquæ ſunt neceſſariæ ad cōſtitutionem totius, aliæ vero ad perfectionem. A toto ad partes, domus eſt; igitur, & fundamenta, & parietes ſunt: a partibus, ſunt fundamenta, parietes, et tectum, igitur & domus. Totum in modo, eſt quoduis vocabulum ratione ſui cum aliqua reſtrictione ſumptum: vt, homo, & homo ſapiens, quæ dicitur pars in modo. A toto ad partem, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, igitur & homines peccatores: caritas chriſtiana diligit omnes, igitur & inimicos. A parte ad totum, iuſti, ſalutem conſequentur, igitur aliqui homines beati erunt. Totum in tempore

pore eſt aduerbium, quod vniuerſaliter tempus ſignificat, vt ſemper, nunquam. A toto, Deus ſemper fuit; ergo & ante mundi creationem: Eccleſia nunquam defecit; igitur nec tempore quo Chriſtus mortuus eſt: Nunquam fides ſola hominem iuſtum fecit; ergo nec ante Chriſti aduentum, nec poſt Chriſtum natum. A parte, Petrus aliquando fuit Romæ; mentiuntur igitur qui dicunt nunquam Romę fuiſſe. Totum in loco, eſt aduerbium, quod vniuerſe locum ſignificat: ut, vbique, nullibi. A toto, Deus eſt vbique, igitur & in templo: In omnem
Rom. 9. *terram exiuit ſonus eorum; igitur & in Galliam, & ad Indos. A parte, Angelus eſt in Cælo, igitur non nullibi eſt: Dęmon non eſt in Cælo igitur non vbique eſt. Hunc locum, Rhetores vocarent, a genere & a forma, excepto, toto integrali; quem a partium enumeratione appellarent.*

Quinctus a cauſſis; cauſſa autem eſt id, cuius vi efficitur aliquid. Cauſſarũ quattuor ſunt genera, materia, forma, finis, & efficiens. Conficiens cauſſa eſt ea, quæ ſua ui efficit aliquid, vt ſol diem. Cauſſæ efficientes, vel neceſſario agũt, & hoc, vel naturæ ui, id eſt, facultate rei ad agendum inſita; quo modo ignis tendit ſurſum, & aqua calefacit: vel conſilio, & voluntate, vt creatura rationis particeps: a qua cauſſa potiſſi-

potiſſimum pendet coniecturæ ſtatus, & cauſſa deliberatiua. Rurſus, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ ſolę aliquem producunt effectum, qui ab alijs produci nequit; vt ſol diem: aliæ ſufficientes, quæ poſitę effectum producunt, qui tamen aliunde eſſe poteſt: quo modo iugulatio eſt cauſſa mortis. Rurſus, alia actu agit, vt qui ædificat; alia agere poteſt, vt homo arte medendi præditus, qui ſanare poteſt. Rurſus aliæ dicuntur cauſſæ procreantes, vt parentes, artifices, & ſummus rerum omnium opifex Deus: aliæ conſeruantes, vt iuſtitia quæ conſeruat leges, & leges remp. aliæ corrumpentes: item, aliæ efficientes ſolæ, aliæ cum alijs, quæ adminiſtræ & iuuantes nominantur. Denique, aliæ dicuntur cauſſę per ſe, quæ ſua ui efficiunt aliquid, aliæ per accidens, vt neceſſitas, fortuna, caſus, & occaſio, quæ ex ſe nihil efficiunt. Poteſt autem vna & eadem cauſſa plurium cauſſarum habere rationem: vt, animus eſt forma hominis, & eſt efficiens actionum vitæ: & quæ erat effectus, poteſt alia ratione dici cauſſa: forma eſt effectus agentis, ſed eſt cauſſa rei genitæ. Similiter vnius effectus plures poſſunt eſſe cauſſæ, vna propinqua, & alia remota: Vt belli Troiani, raptus Helenæ, profectio Græcorum in Aſiam, & eorum congreſſus cum Troianis. Vna cauſſa efficiens ratione

tione

tione materiæ in quam agit, contrarios poteſt producere effectus: Eadem Chriſti concio, quoſdam ad meliorem frugem conuertebat, quoſdam magis obdurabat: Sol liquefacit ceram, lutum indurat. Ab hac cauſſa hæc petuntur argumenta: ſol ortus eſt, igitur dies eſt: Chriſtus reſurrexit, igitur & nos reſurgemus; cum eius reſurrectio ſit cauſſa efficiens reſurrectionis noſtræ. Eſt optima natura, arte, & exercitatione præditus, poteſt igitur apte ad perſuadendum dicere. Hic mundus eſt ab optimo, ſummoque artifice effectus, bonus igitur; ſiquidem attributa cauſſarum efficientium, ipſis effectis tribuere licet. Volui hanc cauſſam paullo fuſius exponere, quod ex ea pulcherrimę ſumantur amplificationes.

Finis eſt id, cuius gratia aliquid fit; quæ eſt cauſſarum præcipua, vnde omnis agendi ſumitur ratio: ſcientia eſt finis ſtudiorum, ſtudiorum beata vita, & belli pax. Eſt autem finis duplex, alter ſummus, ſeu perfectus & vltimus, qui per ſe expetitur, vt eſt cuiuſque rei ſtatus, & conſummata perfectio: vt hominis beata vita; belli pax & concordia: alter deſtinatus, ſeu conferens, qui ad ſupremum conſequendum comparatur; vt ſumptionis medicinæ, valetudo; veſtium, vitæ conſeruatio. Deſtinatorum, alij ſunt priores, alij poſteriores,

Ari.li. 1. Eth. c. 1.

quorum

quorum cauſſa illi ſuſcipiuntur. Finis artis, quæ conficit frænum, refertur ad æqueſtrem, æqueſtris ad militarem, & militaris ad politicam. Hinc argumenta ducuntur a bono, & malo fine, ad bonitatem, & vitium eorum, quæ ſunt ad finem: & qualis eſt finis, talia debent eſſe deſtinata; quæ ſi non ſint idonea ad acquirendum finem, reijcienda ſunt. Vis ad vitam ingredi, ſerua igitur mandata: vis in foro cauſſas agere, da igitur operam eloquentiæ, igitur barbariem, & infantiam vita: ſi malum adulterium, igitur & nuptas ſolicitare malum: vitam tueri licet; igitur & arma ferre.

Forma eſt per quã res eſt id, quod eſt, & ab alijs diſtinguitur. Duo itaque munera præſtat forma; ex quibus illud etiam conſequitur, vt vim agendi tribuat. Eſt autem forma duplex, altera, quæ eſſentialis dicitur, quę rem in certa natura conſtituit; vt eſt anima in homine: altera accidentalis, quæ eſt extra rei naturam, vt, ſunt accidentia omnia. Argumentamur a forma ad rem ipſam, & ad eius operationem: vt, adfuit legitimus inter virum & vxorem conſenſus; igitur factum eſt matrimonium: eſt bene rotundatum, voluetur igitur bene: canis non eſt mente præditus, non eſt igitur homo, nec cogitare poteſt. Verum, cum rerum formæ, figuræque, vel nos lateant, vel nomina propria

O ad

ad eas explicandas nobis deſint, non eſt ita in vſu, & ad amplificandum ita accommodatus hic formæ locus.

Materia eſt ex qua res conficitur, vt ex verbis oratio, ex elementis miſtum, ex ligno tabula, & ex vaporibus humidis pluuia. Eſt autē materia, vel permanens, vt eſt ea in quam, res ex ea confecta redire poteſt: vt, domus, in lapides, miſtum in elementa: vel non permanens, in quam, quod ex ea fit, redire nequit: vt panis ex farina, in quam non redit, cum ſit eius mutabilis materia. Ex hoc loco hæc petuntur argumenta: eſt farina, igitur panis fieri poteſt; farina non fuit, igitur panis non eſt: eſt domus; igitur & lapides. Et a conditione materiæ; eſt vas vitreum, corruptibile igitur. Atq; hæc de cauſſis, plura qui cupit, noſtrum legat

Io.Argē. *de Inuentione opus, & eos, qui ex profeſſo de*
Ia.Acōt. *cauſſis diſputarunt, & ſpeciatim ſecundo phyſico Philoſophos.*

Sextus locus ab effectis; effectum, ſeu effectus eſt id, quod ex cauſſa exiſtit, vel ortum habet; a M. Tullio euentus, euentum, effectus, & effectum uocatur: vulgo cauſſatum, actio, opus, actus, & effectio. Tot autem ſunt effectorum genera quot cauſſarum, cum omnes cauſſæ ad effectum producendum adhibeantur. Conſiderantur autem non ſolum effecta præterita, vel

inſtantia,

inſtantia, ſed etiam quæ eſſe poſſunt. Ab hoc loco hæc ducuntur argumenta, Dies eſt, igitur ſol ortus eſt: ferre arma licet, igitur & iniuriam propellere: bene voluitur, igitur eſt bene rotundatum: ratiocinatur, igitur eſt ratione præditus: gladius eſt, igitur & ferrum. Ex hoc loco frequenter ſumuntur amplificationes.

Septimus a ſubiectis & adiunctis: ſubiectum eſt id cui aliquid adiungitur, & adhæret: vt, animo, virtutum & ſcientiarum habitus: corpori, ſanitas, morbi, robur, imbecillitas, pulchritudo, &c. Homini, laus, honor, diuitiæ, veſtimenta, &c. Huc referres ſubiecta, vel obiecta habituum, & facultatum, quæ ſua habent obiecta, quæ Lactantius, efficientia vocat, quod ſentiendi facultates moueant. Adiunctum eſt, quod ſubiecto adiungitur: quo poſito, ſubiectũ ponitur, & contra, vno remoto, remouetur alterum; modo ſint adiuncta natiua, quæ rem neceſſario ſequuntur. Ignis eſt, igitur & calor: Idolum nihil eſt, non igitur vlla dat reſponſa: homo eſt, igitur libertate præditus. Lib. de opif. Dei cap. 9.

Octauus locus, a generatione, corruptione, & abuſu. Generatio eſt rei productio; corruptio, eiuſdem deſtructio: vſus verò, eſt quo re aliqua ad eum finem, ad quem eſt facta, vtimur. Cuius generatio bona, & ipſum bonum;

cuius generatio mala, & ipſum malum: at cuius corruptio bona, ipſum malum, cuius corruptio mala, ipſum bonum : idem de vſu dicas : Vt, fures in crucem tollere bonum ; igitur ipſi mali : corporata creatura bona, igitur & eius productio : ſacrarum imaginũ vſus laudabilis, igitur & ipſæ laudabiles.

Nonus, ab adiacentibus, ſeu cõmuniter accidentibus. Adiacentia ſunt ea, quæ cum re neceſſario, vel plerunque ſunt coniuncta, ſiue rem antecedant, ſiue comitentur, ſiue ſubſequantur. Quo referres omnes circunſtantias, ſigna naturalia, prodigia, dicta, conſilia, ſuſpiciones, &c. Ex hoc loco hæc petuntur argumenta; peperit, concepit igitur : viſus eſt de nocte, clam, armis tectis, cum paucis domo prodire, necem igitur fecit : veſperi cælum rubet, erit igitur clarum mane. Non ne ipſum In Piſ. *caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare caliditatem videntur? Ex hoc loco ampliſſimæ ſumuntur exornationes.*

Decimus, ab oppoſitis, oppoſita ea dicuntur quæ ſunt inter ſe diuerſa, quorum varia ſunt genera. Alia diſparata, quorum vnum non poteſt eſſe aliud ; vt lapis & lignum, ſubſtantia & qualitas; in quibus argumentamur ab affirmatione vnius ad negationem alterius; vt, eſt

lapis,

lapis, non igitur lignum. Alia contraria, ſeu aduerſa, quorum vnum tollit aliud, vt calidum & frigidum, bonum & malum, in quibus eodem modo argumentamur, iiſdemque contraria tribuimus: vt, calor rarefacit; igitur frigus condenſat: eloquentia eſt amanda; igitur infantia fugienda. Alia relata, vt dominus & ſeruus, creator & creatura, & omnia quæ inter ſe neceſſarium habent ordinem affectionemque; ac proinde vnum non eſt ſine alio: vt, pater eſt, igitur filius eſt: ſum tuus filius, non igitur tuus pater. Alia priuantia, quorum vnum dicit habitum, alterum deſtitutionem; vt videns, & cæcus; vita & mors, lux & tenebræ: vbi eodem argumentamur modo: viuit, non igitur mortuus eſt, & contra. Alia negãtia, quorum alterum, ait, alterum negat; vt, eſt homo, non eſt homo; quorum alterum neceſſario eſt verum, alterum falſum, eloquentia eſt vtilis, non igitur eſt non vtilis. Alia repugnantia, quæ ſunt contrariorum conſequentia; vt amare, & verberare, aut vituperare; odiſſe, & beneficiis afficere: vt amat, non igitur vituperat.

Vndecimus, a comparatione maiorum, minorum, parium, & ſimilium. Maius eſt id, quod eſt magis credibile, magiſque probabile, ſiue facilius, minus vero contra: Non potuit ex-

pugnare caſtrum: igitur nec vrbem expugnare poterit: perpeſſi eſtis grauiora, igitur & leuiora ſuſtinere poteritis. Huc pertinet illud,

Aeneid. primo.

O ſocij, (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, &c.

Ter. in Adel.

Paria ſunt ea, quorum eadem eſt quantitas, ſeu quæ nec maiora nec minora ſunt: quæ explicantur his notis, par, idem, tanto, quanto, non magis, &c. aliquando ſine vlla nota; vt, quando ego non curo tuum, ne cura meum.

Ex qualitate fit comparatio ſimilium, & diſſimilium: ſunt autem ſimilia ea, quorum qualitas, vel ratio eſt vna: quæ explicantur his notis, vt, ſic, ſicut, &c. Diſſimilia vero, quæ & differentia dicuntur, quorum qualitas eſt diuerſa; quorum notæ ſunt; quanquam, tamen; differens, non idem, non quemadmodum, aliquando ſine vlla nota ponuntur.

Huc referuntur argumenta ſumpta ab exẽplis, a parabolis, ſiue ab imaginibus, & ab apologis. Exemplum eſt ſimile ſumptum a re vere geſta. Parabola a re quæ natura, caſu ve fit; quæ in eo, differt ab imagine, quod hæc ſit breuiſſima comparatio, illa vero longior imaginis,

ſeu

ſeu ſimilitudinis explicatio. Ex hoc loco frequenter ſumuntur amplificationes & exornationes. Apologus eſt ſermo fictus ad humanæ vitæ inſtitutionem: cuiuſmodi ſunt Aeſopi fabulæ, & eius generis quorundam aliorum. De apo. lege Apht. Matur.

Huc etiam reuocares locum a tranſlatione, ſeu a metaphora; vt leo rugiens eſt timendus, igitur & diabolus: floris color citò tranſit, igitur & mulieris venuſtas; ac etiam locum a proportione: vt ſe habet auriga ad curſum, ita rex ad regnum: ſed ille, vt recte adminiſtret, debet præ manibus habere habenas; ita & rex leges.

Vndecimus locus, ab auctoritate, tum humana, tum diuina: quo referres ſapienter dicta, & doctorum hominum ſententias, prouerbiaque. Cic. pro Flauo.

Duodecimus, coniugatorum & caſuum: coniugata ſunt ſicut concretum, & abſtractum, vt Dialectici loquuntur; vt, bonum, & bonitas, candidum, & candor, ſapientia, ſapiens, & ſapienter, quæ & denominatiua dicuntur. Vt, deſine exiſtimare auctoritatem eſſe in eo teſtimonio, cuius auctor inuentus eſt nemo: Bonitate bonorum Deorum, bonus Dionyſius vtitur. Et ſi enim in ipſa conſcientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortali- Phil. 2.

tatem non arbitror contemnendam.

Huc referres locum comparatiuorum, & poſitiuorum: iſte non eſt bonus, non igitur eſt illo melior: eſt eo melior, bonus igitur: ſapiens laudandus eſt; igitur magis ſapiens, magis laudandus erit.

Decimuſquartus, diuiſionis, diuiſio autem eſt, qua aliquid in ſuas partes diſtribuimus; vt cum, vel nomen in ſuas ſignificationes, vel genus in formas, vel totum in partes, vel ſubiectum in accidentia, vel accidentia in ſubiecta, vel accidens in accidentia, vt dulce in flauum & album, diuiditur. In eo differt diuiſio a partitione, quod illa proprie eſt generum in ſpecies, hæc vero ſpeciem, ſiue naturam in ſuas affectiones & attributa diſtribuit. Argumentamur a diuiſo ad membra & partes diuidentes, & contra, eodem fere modo, quo in toto vniuerſali, ſeu quantitatis, & integrali. Huius loci vſus apud Oratores plurimum valet in amplificationibus faciendis.

Decimuſquintus, appoſitionis, cum aliquid dicitur eſſe tale propter aliquid, quod ei eſt appoſitum, ſequitur vt illud ſit magis tale: vt ſi aqua eſt calida propter ignem, ignis debet eſſe magis calidus: ſi inimicum diligo propter Deũ; ſequitur vt magis Deum diligam. Atque de locis qui artificioſi vocantur, hactenus.

Ari. li. 1. poſt c. 2.

Quod

Quod attinet ad locos inartificioſos, nibil in præſentia ſcribemus: tum quia eorum vſus nunc fere nullus eſt: tum etiam, quod faciles ſunt, ſatis ergo ſit eorum enumeratio. Loci qui arte carent, ex Quinctiliano, ſunt ſex, præiudicia, fama, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes, de quibus non nibil libro quarto de Inuentione ſcripſimus. Plura qui cupit Quinctilianum, & Herennianum auctorem legat: nos horum locorum axiomata, ad eos confirmandos, & leuandos idonea, breuiter adſcribemus. Præiudicia eſſe facta indiſſimili cauſſa: non eſſe facta in diſſimili cauſſa: Rumoribus non eſſe credendum; rumores non temere naſci: Homines in tormentis multa contra animum loqui; non ſine cauſſa a maioribus fuiſſe inſtitutum, vt veritas per tormenta inueſtigetur: Tabulas non mentiri: non hanc eſſe mentem, & voluntatem earum, & aliquid habere repugnantiæ: Leuem eſſe perſonam, quę ad iuramentum confugit: contra eſſe grauem, & nihil eſſe certius: Teſtes eſſe corruptos; teſtes eſſe integros, & fide dignos. His ergo axiomatis pro his locis, & contra hos locos dici poteſt. Lege Iaco. omph. Cice. in Top. Li. 5. c. 1

Quod autem ad argumentorum diſpoſitionem attinet, de qua re nemo eſt, qui aliquid non præcipiat, nos ita breuiter ſtatuimus. In argu- Cic. li. 2. de orat.

mentis

mentis diſponendis triplex poteſt animaduerti ratio: prima, vt firma in principio ponantur, firmiſſima in fine, quod in his duobus locis magis attenti ſoleant eſſe auditores, minus firma in medio. Altera, vt a firmijs ad firmiora, & ad firmiſſima progrediamur. Poſtrema, quæ priuatim attenditur in exemplis, vt prius externa, tum noſtra, tum domeſtica afferantur exempla. At vero in locorum diſpoſitione ſpectatur, vel naturæ ordo, quo intrinſeci præcedunt extrinſecos, & priores poſteriores; vt locus honeſtatis, locum vtilitatis, & locus voluntatis, locum facultatis; vel doctrinæ, & artis, quo pro cauſſarum natura naturalis mutatur tractatio.

Antequam huic diſputationi fidem facio illud Lectores admonuerim, vt eam pernicioſam & ſtultam quorundam hæreſim fugiant, qui tunc de aliqua propoſita re ſe copioſe dicere poſſe exiſtimant, ſi locos omnes ſimpliciter nouerint; cum eorum nullus poſſit eſſe vſus, niſi quis multa commentatione atque meditatione Cic. li. 2. orat. *paratos atque expeditos eos habuerit: immo niſi rem quibus accommodandi ſunt, aliqua ratione cognouerit: quod, vt ait apud Ciceronem Antonius, nemo poſſit de ea re, quam non nouit, non turpiſſime dicere. Huc faciunt hæc luculentiſſima eiuſdem Antonij verba, ſed hi loci*

demum Oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus, vel vſu, quem ætas denique affert, vel auditione, & cogitatione, quæ ſtudio, & diligentia prȩcurrit ætatem. Nam ſitu mihi quamuis eruditum hominem adduxeris, quamuis aerem, & acutum in cogitando, quamuis ad pronunciandum expeditum, ſi erit idem in conſuetudine ciuitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus, ac uoluntatibus, ciuium ſuorum hoſpes, non multum loci ei proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus eſt, vt agro non ſemel arato, ſed nouato, & iterato, quo meliores fœtus poſſit, & grandiores edere. Subactio autem eſt vſus, auditio, lectio, literæ.

Illud etiam lectores monitos velim, me in præſentia non tam locos explicare, quam quaſi digito indicare voluiſſe: cum in libris de Inuentione accuratius de eis ſcripſerim: hic autem non ſine vtilitate, & neceſſitate breuiter eos recenſiſſe ſufficiat. Nam cum infra de argumentorum expolitione, & amplificatione, quæ potiſſimum ex locis ſumitur ſcripturus ſim, locos, vnde & argumentationes, & earum expoliationes petuntur, leuiter attingere volui. Quod autem ad locos, qui priuatim tribus cauſſarum generibus inſeruiunt attinet, cum de triplici cauſſarum genere integrum conficiam

ciam librum, eos recenſebo; de quibus libro ſecundo de Inuentione copioſe egi.

Quid & quotuplex ſit argumentatio, deque varijs argumentationum formis. Diſputatio XVIII.

QVæſtionem aliquam inuenire, ſibiq; eam proponere, quiſque, quantumuis rudis, facile ſane poteſt: argumenta quoque, vbi loci fuerint indicati, & quaſi primo aſpectu cogniti, haud difficile inueniuntur: at vero argumentum vna cum quæſtione coniungere, apteque ad perſuadendum, quod copioſe varieque fieri debet, Cic. li. 2. orat. *tractare, magni eſt laboris, & exercitati bonique Oratoris proprium. Tota itaque diſponendi in confirmatione difficultas, in apta, & idonea argumentorum tractatione poſita eſſe videtur; quà in re explicanda, quibuſdam diſputationibus, deinceps argumentorum tractationes, & expolitiones demonſtrando, verſabimur: ſi prius, quid argumentum, & argumentatio ſit, expoſuerimus.*

Argumentum dictum eſt ab arguo, ſicut ab induo, indumentum. Arguo autem oſtenſionem, & expreſſionem deſignat: & quod arguitur, id probatur, profertur, ad demonſtratur.

Huc facit Virgilianum illud,

Degeneres animos timor arguit.

Et arguti iij cenſentur, qui res diſtinguunt, & cogitatione inquirunt, orationeque ſubtiliter explicant. Quo fit, vt illa ad aliquid demonſtrandum probandumque promptitudo, argutia, & id, quo res propoſita explanatur, demonſtratur ve, argumentum appelletur: hoc autem ad aliquid demonſtrandum adhibere, & vſurpare, argumentari, quod eſt argute, & callide, apteque aliquid dicere, atque conficere, dicitur. Vnde Cicero arguendi verbo, pro demonſtrare, & probare vtitur. Quare, non eſt hoc verbum in hac ſignificatione cenſendum, aut barbarum, aut poeticum: quamuis non errent, qui argumentum ab argumentando ductum eſſe putant, Dicitur ergo argumentum ab arguo, quod arguat, id eſt, quid verum, quid ve falſum ſit demonſtret. Sed quidquid de nomine ſit, nos de re agamus.

Argumentum in Dialecticorum & Philoſophorum ſcholis deſignat ipſam rationis explicationem, qua aliquid ratiocinando probamus: at vero apud M. Tullium, ponitur pro illo inuento, per quod quæſtionem probamus, quod, ratio, & medium vocatur: a Grecis vero πίστις idest fides, epicherema, & cephaleon, ideſt, caput dicitur. Libro 1. Aen.

Argumen-

Cice. in part. *Argumentatio autem eſt argumenti explicatio, & tractatio, quæ fit, dum certa quadam ratione, argumentum quæſtionis applicatur: ita vt per argumentum, quod per quæſtionem eſt in dubium reuocatum, explicetur, ac probetur. Sed ad rem noſtram accommodatius, hunc in modum argumentationem deſcriberes. Argumentatio eſt oratio, in qua vnum ex alio conſequi denotatur. Conſtat itaque argumentatio quæuis ex duabus partibus: quarum ex vna tanquam ex notiore, infertur altera, quæ erat ignota; quæ inductio deſignatur aliqua particula ratiocinatiua; vt ſunt, igitur, & ergo; Vt ſi dicas, eloquentia eſt vtilis, igitur expetenda. Prior pars a Dialecticis antecedens vocatur; ab Oratoribus propoſitum, propoſitio, & ſumptio, ſiue ſumptum: poſterior ab illis conſequens, & concluſio: Cicero tamen interdum totam argumentationem concluſionem vocat. Particula illa ratiocinatiua, copula, & nota illationis a Dialecticis nominatur; qua remota, nulla eſſet argumentatio: cuius tota vis omnis in eo ſita eſt, vt ex eo quod eſt propoſitum, bene inferatur id, quod concluditur, & conficitur: alias vitioſa eſſet, & nullius momenti argumentatio: cuius inductionem, Dialectici, illationem vocant, Cicero complexionem. Quare, ſi diceres, Antonius mouetur, igitur currit, nulla*

eſſet

eſſet argumentatio, cum nulla ſit complexio: non enim ex eo quod aliquis mouetur, recte colligitur eum currere. Omnis autem argumentatio, aut aliquid affirmat, aut refellit, ſiue negat: vnde duæ ſpecies oriuntur probationis.

Vbi illud obiter admonuerim ex negatione, nihil recte inferri, cum, auctore Parmenide, ex eo quod non eſt, conficiatur nihil. Quare, ſi diceres, Tu non es inſcriptus hæres, ego igitur, nihil conficeres: Ariſtoteles non dixit, an delectatio ſit expetenda propter operationem, non igitur hac de cauſſa expetenda eſt; nihil concludis. Sed neque ex affirmatione quicquam bene refellitur, niſi aliqua intercedat negatio. Vnde ſi ita ratiocineris, Ei quem pater tutorem reliquit, liberi debent obedire; ego relictus ſum tutor; ergo non tibi obedire tenentur. Idem eſto iudicium de particularibus propoſitionibus, ſi medius terminus non diſtribuatur, in propoſitione; vt ſi dicas, Omnes diuites ſunt auari, tu auarus: igitur & diues: ſed hæc, & id genus alia, quæ ad rectam argumentationis conſecutionem pertinent, a Dialecticis repetantur. Ex his colligere licet, argumentorum doctrinam pertinere ad partem inuentiuam, ſeu ad Dialecticam: eorum vero tractationem, ad iudicium, & ad eam Logicæ partem, quam analyticam vocant: illa locorum inuentionem, hæc

Lib. 10. Eth.

argu.

argumentorum tractandorum rationem docet.

Argumentationis ſpecies quattuor faciunt Dialectici, quibus etiam Oratores vtuntur, cum vtrique facultati id ſit proprium, aliquid ratiocinando probare, ſed non eadem prorſus ratione: quæ ſpecies ſunt, ſyllogiſmus, ethymema, inductio, & exemplum, quarum ſingulas nunc breuiter explicabo.

LegeRo dul.li.2. cap. 14. Nic.Biſ. li.2. c.1.

Syllogiſmus eſt argumentatio, in qua ex duabus propoſitionibus poſitis, aliquid aliud ab iis, quæ poſita ſunt, colligitur; vt ſi dicas, omne bonum eſt expetendum: eloquentia bona, expetenda igitur: nulla ars vtilis eſt reiicienda; eloquentia maxime vtilis, non igitur explodenda. Conſtat ergo Syllogiſmus ex duabus propoſitionibus, ex quibus, tanquam ex cauſſis, alia veluti effectus, colligitur. Ex illis duabus prior, latius patet, pluraque complectitur: altera vero eſt contractior: quæ ex illis conficitur, quiddam diuerſum ab illis colligit, quod tamen ibi, vt effectus in cauſſa, latebat. Quod autem attinet ad varias ſyllogiſmi formas, & modos, nihil eſt nobis hoc in loco dicendum: ſed legendus eſt quinctus de Inuentione liber. De partibus vero Syllogiſmi, an ſolum tribus, an vero quinque conſtet, poſtea priuata diſputatione agetur.

Ariſto. libro 2. Prior.

Enthymema, eſt imperfectus ſyllogiſmus,

quo,

quo, ſumptione, vel ſubſumptione prætermiſſa, ex vna tantum propoſitione aliquid colligitur; hoc modo, Eloquentia vtilis, expetenda igitur: hanc, argumentandi formam, cum de ea plura infra dicenda ſint, breuiter deſcripſiſſe ſufficiat.

Inductio, eſt quædam a pluribus particularibus ad vniuerſalem propoſitionem conficiendam progreſſio. Quo fit, vt ſit contraria ſyllogiſmo, in quo a magis vniuerſalibus, ad minus vniuerſalia deſcendimus. Loquimur autem hoc loco de inductione qua Dialectici vtuntur: hoc modo, Vinum italicum inebriat, gallicum itidem, ac etiam hiſpanicum, & reliqua omnia, igitur omne vinum inebriat.

Exemplum, eſt quædam imperfecta inductio, quo ab vno etiam particulari, ad aliud particulare, ob eam quæ in illis cernitur ſimilitudinem, progredimur: Vt, Deus pepercit Petro pœnitentiam agenti; igitur & tibi parcet, ſi pœnitentiam egeris.

Atque hæ ſunt quattuor argumentandi formæ, ad quas omnes argumentationes referuntur: quibus ſtrictim breuiterque Dialectici vtuntur, Oratores vero vberius, & magnificentius: qui cum nolint ſimilitudine ſatietatem parere, ſed varie dicendo, delectatione afficere, multo aliter has argumentationes Cic.li.2. de orat.

tractant, ac proinde alias quaſdam formas, non natura, ſed qualitate ab his differentes, adhibere ſolent, quas deinceps explicaturi ſumus: ſunt autem iſtæ: complexio, enumeratio, ſimplex concluſio, ſubiectio, ſummiſſio, oppoſitio, violatio, inductio, collectio, ratiocinatio, epicherema, & ſorites.

Ludo. Gran. li bro 2. ca pi. 9. Trap. l. 3

Complexio, eſt argumentandi forma, in qua vtrum e duobus conceſſeris, reprehendetur, hoc modo, Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi verus, ne opprimar: ſin falſus, vt aliquando timere deſinam. Si improbus eſt, cur vereris? ſi probus cur accuſas? Hanc argumentandi rationem Græci dilemma vocant, quod habeat λῆψιν, *ideſt ſumptionem duarum propoſitionum; & ita vrgeat, ac præmat, vt ex altera parte capiat aduerſarium: quam ob cauſſam diuus Hieronymus ſyllogiſmum cornutum appellauit: ea fortaſſe de cauſſa, quod apud Ciceronem legerit, experiamur, ſi poſſumus, cornua commouere argumentationis tuæ: vbi argumentationis vim, cornua nominauit. Hæc argumentandi forma eſt imperfecta quædam ratiocinatio, ſiue ſyllogiſmus, ad quem facile reuocari poteſt. Alij hoc pacto deſcribunt Dilemma, quod Cicero complexionem vocat, Dilemma eſt duplex hypothetica propoſitio, vel duarum hypo-*

Cic. li. 1. de Inu. Orat. 1. in Cati.

Li. 2. de diu.

hypotheticarum propoſitionũ complexio. Sunt itaque in Dilemmate duæ propoſitiones, quarum ſi neutra infirmari poteſt, validiſſimum eſt argumentum: Tunc autem infirmari nequeunt, quando vtraque eſt vera, & inter ſe opponuntur: Cuiuſmodi non fuit Dilemma illud, quo Iudæi Chriſtum ſe capere poſſe putarunt, cum ab eo petierunt, Liceret ne dare cenſum Cæſari. Hoc argumentationis genus ex duplici capite laudauit Hermogenes: Primo, quia efficit, vt Orator videatur acutus, & prudens, quo ſibi ingenij laudem conciliat: altero, quod habeat laudem veritatis, id eſt, neceſſariæ demonſtrationis, cui non facile poſſit reſiſti, cum ſit ἄλυτον. Lege Gel. li. 5. c. 10.

Enumeratio, eſt argumentatio, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmitatis, vna reliqua neceſſario confirmatur: quæ argumentandi forma, ſi omnes proſequatur partes, eaſque corroboret, reprehendi non poteſt, ad hunc modum: ſi Imperator in acie eſt futurus, & non in prima, aut in poſtrema parte, in media igitur: nam præter hunc, nullum alium ei inuenies in acie locum. Exemplum enumerationis habes apud Tullium in oratione pro Roſcio comœdo, cum ait, Hæc pecunia neceſſe eſt, aut data, aut expenſa lata, aut ſtipulata, ſit: Datam non eſſe, Fannius Cic. li. 1. de Inu.

confitetur: expenſam latam non eſſe, Codices Fannij confirmant: ſtipulatam non eſſe, taciturnitas teſtium concedit &c. Verum in hoc exemplo omnes tolluntur partes.

In orat. pro Roſ. *Simplex complexio, eſt argumentatio, in qua ex eo, quod anteceſſit, aliquid neceſſario conficitur, ſeu quæ ex neceſſaria conſecutione conficitur, hoc modo, Si qua hora cęſus eſt* Ro*mæ pater Roſcij, Roſcius fuit Ameriæ, non igitur Roſcius patrem occidit.*

Subiectio eſt, cum nos interrogamus frequentius, & noſipſi reſpondemus. Cum itaque quærimus, quid pro aduerſario, aut contra nos dici poſſit, & ſtatim ſubijcimus rationem, qua id, quod dictum eſt, non ita eſſe oſtendimus, ſubiectio eſt, ad hunc modum: Quæro igitur, vnde iſte ex tenui, tam pecunioſus factus ſit? patrimonium ſibi amplum relictum eſt? at patris bona venierunt: hæreditatem aliquam adiuit? at ab omnibus ſuis exhæreditatus eſt: ex mercatura fortaſſe, quam fecit? at maximam negociando iacturam eorum quæ habebat fecit. Quare, ſi his honeſtis rationibus locupletatus non eſt, relinquitur cum malis artibus ex alieno accepiſſe. Non appellatur inimicus, qui cum telo fuerit ante ſenatum? tua
Parad. 4 *ſica deprehenſa eſt: Qui hominem occiderit? tu plurimos occidiſti: Qui incendium fecerit?*

rit? ædes Nympharum manu tua deflagrauit. Qui templa Deorum occupauerit? in foro etiam caſtra poſuiſti. Eſt hæc argumentandi ratio valde ſimilis enumerationi, & ad eam reuocari poteſt: quæ tamen minores vires habere videtur, quam illa habeat. Pulcherrimum rurſus exemplum habes in oratione, pro P. Quintio, Appellandi tempus nō erat? at tecum plus annum vixit: in Gallia agi non potuit? at & in prouincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant: quam maioris vehementiæ, & varietatis cauſſa, per complexionem abſoluit, hoc modo, Reſtat, vt, aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut inuita liberalitas: ſi negligentiam dices, mirabimur: ſi liberalitatem, ridebimus. Poterat enim artificioſiſſimus Orator per ſubiectionem dicere, Negligentia tibi obſtitit? at nunquam in exquirendis pecuniјs te negligentem vidimus: liberalitas impedimento fuit? at ridiculum eſt, te nunc liberalem dicere, qui ſemper auare vixiſti.

Summiſſio eſt argumentatio, in qua a nobis ipſis rationem interrogantes poſcimus, ac reſpondemus, cur quidque dicamus; hoc modo, Marcus Zenus Franciſci Mariæ filius, pręclara indole, optimis moribus, pietateque ſingulari præditus adoleſcens, eloquentiæ ſtudijs ſibi operam dandam eſſe exiſtimauit: cur ita?

quia optime intellexit, nullam eſſe artem, quæ ita nobilem adoleſcentem Venetum deceat: Et quænam eſt cauſſa? quod hac vna dicendi facultate reip. ſtatus, & retineri, & amplificari maxime queat: Quamobrem? quod bonos ad virtutem excitare, & improbos a ſcelere reuocare, quæ ſunt boni Senatoris munera, ipſa ſola poſſit. Quæ argumentandi ratio, tum quia facilis eſt, & aperta, tum quia eius quod dicit rationem ſtatim reddit, eſt valde ad popularem ſenſum accommodata: habet etiam feſtiuitatem quandam, ac vim ad attentionem auditorum comparandam: quæ interdum duobus abſoluitur membris; vt fecit Cicero, cum dixit, Non fuit cauſſa cur poſtulares? qui hoc fieri poteſt? &c.

Pro Quin.

Oppoſitio, eſt argumentatio, in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam reuertimur propoſitionem. Vt, quando dies eſt, oportet operari: nam ſi nox eſſet, quieſcere oporteret: nunc autem cum dies ſit, operari neceſſe erit. Aptum huius argumentationis exemplum habes in oratione pro Cęcinnam, Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret: non minus nunc in cauſſa cederet A. Cęcinna Sex. Aebutij impudentiæ, quam tum in vi facienda, ceſſit audaciæ. Verum, &c. Hæc argumentationis

tationis diſpoſitio, & dignitatis & acrimoniæ plurimum habet; & varijs modis tractari poteſt: vt per ſpiritus productionem, cum pluribus conſtat membris, & per circuitum: vt, quod non faceremus ſi nox eſſet, hæc nunc facienda ſuſcipimus cum dies ſit; ſed tunc parum a ſimplici concluſione differt: & vna poteſt transferri in alteram, hoc pacto: Si ego eo tempore quo homicidium in vrbe factum fuit, eram ruri, profecto non ſum huius necis reus; hæc ſimplex concluſio, fiet hac ratione oppoſitio; ſi eo tempore, quod homo iſte necatus fuit, ego in vrbe fuiſſem, aliqua poſſet eſſe de me perpetrati homicidij ſuſpicio: atqui cum conſtet me fuiſſe ruri, ab hac ſuſpicione, iudices, omnino eſſe alieni debitis. Verum ſimplex concluſio plus acrimoniæ, hæc vero plus ornamenti habet: illa vehementius vrget, quam iſta.

Violentum, ſiue violatio, τὸ βίαιον, eſt argumentationis modus, quo ex aduerſariorum ratione, non quod pro ſe conficere conabantur, ſed quod a nobis eſt, confici contendimus: & ita in nos contortum telum, in aduerſarium retorquemus. Quo argumentandi modo in ſola confutatione vtimur: qui in eo differt a pugnantibus, quoniam in his aduerſarij rationes inter ſe pugnare demonſtratur: hic vero, ex illis, quod a nobis eſt, confici contendimus. Di-

citur hæc argumentatio, violentum, ſeu violatio, quod nulla alia ſit, quæ magis in confutatione aduerſarium vrgeat, & in angulum redigat. Habes apud Ciceronem exemplum in Pompeiana, vbi Catuli argumentum, quo probabat Pompeium non eſſe præficiendum bello Mithridatico, ne in vno, qui natura humani generis, breui moriturus erat, omnia ponerent: at ideo, ait Tullius, in eo eſſe ponenda, quod breui moriturus eſt. Sed in hoc ipſo, &c. Quidam violationem idem eſſe cum dilemmate exiſtimant, quod etiam dilemma vim quandam afferat.

An. Lul. lib. 3. *Inductio oratoria, eſt argumentatio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem auditorum, quibus aſſenſionibus facit, vt illi dubia quædam res, propter ſimilitudinem eorum, quibus aſſenſerint probetur, vel preſſius, Inductio eſt argumentatio, quæ ex pluribus collationibus peruenit, quo vult; vel, quæ ex pluribus rebus propter ſimilitudinem infert propoſitum, vel vniuerſe, vel in parte: quam aliqui latine, expeditionem vocant, Græci ἐπαγωγήν.* Cic. li. 1. de Inu. Quin. libro 5. c. 11.

Cypr. li. 3. c. 20. *Vt ecce, Quod pomum generoſiſſimum? puto, quod optimum: & equus? qui velociſſimus: & plura in eundem modum: deinde, cuius rei gratia illa propoſita ſunt: Ita hominum, non qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maxime excellit, generoſiſſimus erit. Item, Domus*

ea,

ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, quam quæ nullo conſilio adminiſtratur: exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus cõmodius regitur, eadem nauigij ratio eſt: nam, nauis optime curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore vtitur: hactenus eſt inductio ſimilium, quæ eſt prima inductionis pars. Ergo ſtulti ſunt, qui ſapientiſſimos, & diu verſatos in rep. homines, ab eiuſdem adminiſtratione repellunt. Hæc eſt concluſio, quæ eſt ſecunda huius argumentationis pars: cui additur tertia, quæ axioſis nominatur, quædam nimirum inductionis approbatio, vt eſt iſta, Non enim minus periculoſa, nec minus difficilis eſt reip. adminiſtratio, quam domus, aut belli, aut nauigij. Lege aliud exemplum apud Ciceronem libro priore de Inuentione. Hac argumentandi forma plurimũ vſus eſt Plato, et Socrates, qui nihil ad perſuadendum afferre volebat, ſed ex eo, quod ſibi datum eſſet, aliquid conficere malebat. Eandem non raro vſurpant Poetæ, & ſpeciatim Ouidius, apud quem multa et præclara ſunt inductionum exempla, Vt eſt illud, Cic. li. j. de Inu. Lib. 4. de Triſt. eleg. 3.

Materiamque tuis triſtem virtutibus imple,
 Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, felix ſi Troia fuiſſet?
 Publica virtutis per mala facta via eſt.

Ars

Ars tua Tiphy iacet, ſi non ſint in æquore
fluctus.
Si valeant homines; ars tua Phæbe iacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita
rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Cic.li.1. de Inu. *Hoc in genere duo diligenter cauenda ſunt: alterum, vt quod aſſumimus pro ſimilitudine, eiuſmodi ſit, vt neceſſe ſit concedi: alterum, vt illud cuius confirmandi cauſſa fit inductio, ſimile ijs rebus ſit, quas ante induxerimus. Quod attinet ad huius argumentationis vſum, illud adnotauerim, repentina quadam interrogatione aduerſariũ aggredi nos debere, ne ſentiat quem ad finem noſtra tendat interrogatio, ne peruerſe reſpondendo, non ſinat inductionem progredi.*

Collectio, Græce, σολλογὴ, abſolutior et perfectior argumentatio, quæ non modo propoſitione, ſed etiam propoſitionis ratione & rationis confirmatione atque expolitione, abſoluitur: Propoſitio eſt, qua ſummatim oſtendimus, quod probare volumus: Ratio eſt, quæ vno, vel pluribus argumentis, id quod propoſuimus verum eſſe demonſtrat: Rationis confirmatio eſt, quæ rationem allatam comprobat: Expoſitio rei locupletandæ & honeſtandæ cauſſa adijcitur: Quibus omnibus additur concluſio,

ſio, quæ breuiter diffuſius explicatas partes colligit. Exemplum illuſtre habes apud Ciceronẽ in libro de Senectute, vbi contra voluptatem elegantiſſima diſputat collectione, cuius propoſitio eſt hæc, Nulla capitalior peſtis, &cæt. Ratio, Cuius voluptatis, &c. Confirmatio, Hinc patriæ proditiones, &c. Rationis exornatio, Quod quo magis, &c. Concluſio, Quo circa nihil, & quæ ſequuntur. Poterit autem plures aut pauciores habere partes, ſi vel confirmatio, vel expolitio relinquatur.

Ratiocinatio, eſt argumentatio abſolutiſſima, in qua propoſitioni, quæ eſt magis vniuerſalis, ſumptio minus vniuerſalis, aut certe æque patens, additur, vnde infertur concluſio, & idem eſt, quod ſyllogiſmus, qui apud Dialecticos tribus conſtat partibus, apud Oratores etiam quinque. An autem tripartita, aut quinquepartita debeat dici argumentatio, poſtea examinabitur. Exemplum eſt tale, Ab eo facinus ſemper factum fuiſſe exiſtimari, cui bono eſſe videretur; hæc eſt propoſitio, græce πρότασις: Ratio, quod boni nullo emolumento impelluntur ad fraudem, etſi improbi ſæpe paruo. At magna ſpes erat Clodio ex morte Milonis, ſumptio, græce, apodoſis, id eſt adiunctum: Eius ratio eſt, quia illa bellua multa ſe poſſe agere ſperabat, quæ non poſſet, eodem vi Cic. pro Mil.

uo : concluſio, fecit igitur inſidias Clodius. In diſponenda ratiocinatione, quæ modo plures, modo pauciores poteſt habere partes, aliter ſe gerunt Oratores, quam Dialectici; cum hi ſemper a propoſitione ad redditionem progrediantur, & in concluſione finiant; illi vero etiam a concluſione auſpicentur, & in confirmatione alterius propoſitionis deſinant.

Epicherema, de quo aliquanto latius dicã, Græcum eſt nomen, ductũ a verbo ἐπιχειρῶ, *quod* χεῖρας ἐκβάλλειν, *id eſt manus iniicere ſignificat, latine, aggreſſionem diceres, interdũ idem ſignificat, quod Ariſtoteles, piſtin, id eſt fidem, & Cicero, argumentum vocat: Apud Hermogenẽ frequentius idem eſt, quod aliqua argumentationis, vel ſyllogiſmi maior, vel minor propoſitio: quare, quas Ariſtoteles protaſes vocat, eas Hermogenes epicheremata appellare ſolet. Rurſus, epicherema idẽ valet, quod argumentatio, & priuatim eam ſpeciem, deſignat, quam Tullius ratiocinationẽ nominat; quæ argumentatio ab Oratoribus, ab*
Natal. *iis quæ rem circunſtant, expoliri ſolet. Vnde*
lib. 3. c. *a quibuſdam hoc modo, definitur, epicherema*
17. *eſt oratio, ſeu ratiocinatio ab iis aucta, quæ*
Cypr. libro 3. *rem circunſtant. Poſtremo apud Oratores*
Pro Deiot. *epicherema eſt breuiter comprehenſa ratiocinatio, cuius omnes partes in vnam conferuntur,*

tur,

tur, hoc modo; Sine cauſſa ſeruus Dominũ accu ſet? En crimen, en cauſſa, ait Cicero, cur Regem fugitiuus, dominũ ſeruus accuſet? quę ratio faci le ad ratiocinationẽ reuocatur: atq; hoc poſte riore modo breuiter cõprehenſa argumentatio epicherema dicitur. Et vt illud etiã adnotauerim, inter epichereſin et epicherema, i. diſcrimi nis, quod epichereſis eſt aggreſſio, ſiue inſtitutio concluſionis, ſeu argumenti; epicherema vero argumentũ ipſum, ſeu argumẽti propoſitio: ita vt, epicherin, ſit argumenta inſtituere: Vt ſi quis ita aggrediatur, Da, vel exhibe teſtes, & poſtea proxime adiungat epicherema. Pro Deiot.

Denique, eſt alia argumentandi forma, quã Græci ſoritem vocant, Cicero latine acerualem appellari poſſe, dixit: vulgo argumentatio a prĩo ad vltimũ. Sorites ergo multas argu mẽtationes aceruatim cõuoluit, hoc modo, Atque etiã, ait Cicero, omne bonũ lætabile eſt: qđ autem lætabile id prædicandum, & præferendum: quod tale autem, id etiam glorioſum: ſi vero glorioſum, certe laudabile: quod autem laudabile, profecto etiam honeſtum: quod bonum igitur, id honeſtum. Hanc concluſionem coaceruatis argumentationibus probauit Tullius, tanquam Stoicus, quod nihil poſſit appellari bonum, niſi ſit honeſtum; & argumentandi modo, quo Zeno Stoicorum princeps valde Lib. 2. de diu. Tuſ. 5.

dele-

delectatus eſt, vt etiam Chryſippus. Huic non abſimilis eſt climax, latine gradatio, niſi quod hæc principium in concluſione non repetit, vt ſerites, facit, hoc modo, Africano virtus gloriam, gloria æmulos, æmuli mortem præpararunt. Atque de argumentatione, & varijs argumentandi formis, tum dialecticis, tum Oratorijs, hæc ſummatim dixiſſe ſufficiat.

De enthymemate & epenthymemate. Diſputatio XIX.

Q*Voniam de hac argumẽtandi forma, multa, tum in Dialecticis, tum in Rhetoricis ſcholis diſputari ſolent; propterea aliquid de ea nobis ſpeciatim ſcribendum eſſe exiſtimauimus: non tamẽ ea proſequi volumus, quæ magis ſubtiliter, quam vtiliter a Dialecticis diſputantur; ſed quæ proxime ad noſtrum inſtitutum faciunt.*

Enthymema vox eſt græca, ſic dicta, quaſi ἐν θυμῷ, *id eſt in mente, altera relinquatur propoſitio, quam hac argumentandi forma quaſi notam relinquit: vel quia ex aliqua ſal-*
Fons. *tem communi ratione fit, quam animus ſecũ cogitat: ad differentiam Exempli, quod ex ſingularibus, quæ ſenſibus percipiuntur, conficitur.*

tur. Latine diceres commentum, & commentationem: quod nomen licet omnibus animi cogitationibus conuenire poſſit: tamen priuatim bipartitam deſignat argumentationem. An autem ſit quædam argumentatio a ſyllogiſmo omnino diſtincta, an imperfectus ſyllogiſmus, Dialectici videant. Nos, quæ de rebus propoſitis dicturi ſumus, his poſitionibus explicabimus. Quinct.

Prima poſitio, ſi Ariſtotelis ſententiam ſpectemus, enthymema, eſt imperfectus quidam ſyllogiſmus, cui altera deeſt propoſitio, quæ facile ſubintelligi poteſt. Hanc eſſe Ariſtotelis de enthymemate opinionem multis ex locis colligere licet; in quibus imperfectum vocat ſyllogiſmum, & paucioribus conſtare partibus, quam ſyllogiſmus, docet: & ea eſſe in enthymemate ſubticenda, quæ auditor ex ſe poteſt percipere. Lib. 1. & 2. poſtli. 1. Rhet. Nat. cõ. lib. 3. de ter. rhet. cap. 7.

Secunda poſitio, enthymema rhetoricum, non forma, ſed materia a dialectico differre videtur. Quoniam oratorium conflatur ex veriſimilibus, & ſignis; & ita ex certo tantum rerum genere conſtat. Alij vero Rhetores priuatim illud vocant enthymema, quod ex contrarijs conficitur: non quod omnis bipartita argumentatio proprio nomine enthymema nõ dicatur, ſed quaſi per excellentiam, generis nomen, Rod. lib. 2. c. 14. Mat. Phriſ. Quinct. li. 5. c. 14.

men, hoc acutiſſimum & robuſtiſſimum argumentum, mereatur. Propterea M. Tullius dixit, enthymema eſſe demonſtrationem, ſeu argumentationem ex contrarijs: cuiuſmodi ſunt iſta, Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe nolitis? Quem alienum fidum inuenies, ſi tuis hoſtis fueris. Quoniam igitur impunitas, Cęſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio? Et apud Lucanum hunc in modum milites Cęſarem enthymemate vrgēt, Quid ſatis eſt, ſi Roma parum? Apud eundem Photius Ptolemæum ad Pompei necem hoc enthymemate excitat, Audes fulcire ruinam (hoc eſt, Pompeium) ſub qua Roma iacet? Is hominem iuuet, qui ſolum perdere nouit?

In Top. Pro Mil. Sal. in Iug. Pro. Ligar. Luc.

At vero Hermogenes de enthymemate paullo aliter ſenſiſſe videtur, ex cuius ſententia hunc in modum enthymema deſcriberes, Enthymema eſt extrema confirmatio, & concluſio argumentationis rhetoricæ: Vel cum Trapezuntio hoc pacto, Enthymema eſt oratio, quæ a circunſtantijs ad confirmationem cum collatione fertur; ita vt ſit expolitio quædam ex ratione, & varia confirmatione compoſita. Eſt itaque ſecundum Hermogenem enthymema ſimplex oratoriæ argumentationis

Libro 3.

conclu-

concluſio; cui alia enthymemata, & confirmationis & acrimoniæ cauſſa, adduntur: quę epenthymemata uocantur, vt ſtatim dicam, ſi prius vno vel altero exemplo, hanc Hermogenis doctrinam explicuero. Si Rex Perſarum Athon montem perfodit, cur nos non poſſumus perfodere Cherſoneſum? Hæc eſt concluſio, ſiue primum enthymema: ad cuius expolitionem, & confirmationem adduntur hæc alia. Ille ſaxeũ montem, nos planam terram nõ perfodiemus? a qualitate ſumptum. Ille hunc laborem ſuſcepit, vt regnum dilataret, cur nos non idem, vt regnum amplificatum retineamus? a fine: Ille montem hoſte imminente, & impediente, perfodit; nos ſecuri & fauentibus omnibus, non perfodiemus? a circunſtantia temporis?

Ex quibus intelligi licet, quid ſit epenthymema, quod nihil aliud eſt, quam breuis & acuta ratio, quæ quaſi appendix additur enthymemati: Ita vt ſit ſecundarium enthymema, & adiecta continuataque argumentatio, ex rerum adiunctis per contentionem conflata. Vt ſicut ab Ariſtotele epilogus dicitur ea ratio, quæ ſententiæ adijcitur; vt ſi dicas, Adulatorem fugito, hæc eſt ſententia; ſi addas, quoniam decipere ſolet, hæc eſt epilogus, id eſt adiecta ratio, ita enthymemata, quæ ad confirmationem, & expolitionem præcipui & pri- Libro 2. rhe. c. 4.

mi enthymematis afferuntur, epenthymemata vocantur.

Tertia poſitio, enthymema in duobus differt ab epenthymemate, collocatione, & tractatione. Collocatione, quia enthymema ponitur priore loco, vt in allato patet exemplo, epenthymema vero in poſteriore. Tractatione, quoniam enthymema ſimplex & nudum ponitur: epenthymema vero, acutis ſententijs exornatur, & verborum acrimonia, orationis copia, varietateque tractatur.

An.Lul. lib.3. capit.23. *Quarta poſitio, Hermogeni tria ſunt enthymematum genera. Primum, quod eſt diuerſum ab epenthymemate: Alterum, cũ epenthymemate coniunctum, & in ipſo incluſum; quod tripliciter contingere poteſt; vel cum enthymema, alijs verbis repetitur; vel cum idem aliquando reſumitur, vel cum iam inchoatum perficitur: Poſtremum enthymema dilatatũ, ſuperioris nimirum amplificatio. Commendat mirum in modum Hermogenes enthymema, quia orationem expolit, quam acutam reddit: auditorem docet, eique vim affert: Oratorem commendat, efficitque vt acutus & prudens eſſe videatur.*

Et vt quæ fuſius diximus breuiter perſtringamus, vel cum Ariſtotele dicas enthymema Rhetoricum eſſe ex veriſimilibus et ſignis, vel

cum

cum Tullio ex contrariorum contentione breuiter conflatam rationem, vel cum Hermogene, ſimplicem argumentationis concluſionem, cui alia ex adiunctorum collationibus conſtituta, confirmationis & expoliationis cauſſa, adduntur enthymemata.

Quare non inepte quidam hac ratione enthymema deſcripſit. Enthymema eſt oratio emphaſim continẽs, aut conſecutionis, aut pugnæ. Dixit, aut conſecutionis, vt deſignaret illa enthymemata, quæ ex indicijs & veriſimilibus ſumuntur; vt ſi dicas, Cito euaſit diues, malis igitur eſt vſus artibus: lac habet, peperit igitur: quæ enthymemata per quandam conſecutionem conficiuntur. Dixit, aut pugnæ, vt ea deſignaret, quæ a contrariorum contentione ſumuntur: vt a comparatione aduerſantium, affectorum, ſiue relatorum, priuantium, ſiue deſtitutorum, & habituum, affirmantium, atque negantium. Et quoniam huiuſmodi contentiones ex adiacentibus, ſeu adiunctis rebus, & perſonis ſumuntur, ideo alij in enthymematis definitione dixerunt, ea ex circũſtantijs ſumi: Dixit, emphaſim continens, quia enthymema cum quadam energia & verborum emphaſi conficiendum eſt. Hæc enim argumentatio in orbem quodammodo redacta, quanto ferit celerius, tanto magis oſtendit acumen inge-

An. Lul. li. 2. c. 2

nij: quæ, niſi ſubito omnia antecedentia, & conſequentia, & pugnantia tecum ipſe perluſtres, vix poterit decenter liberata cadere. Quare, niſi paucis, & celeriter complicetur, lente ferit enthymema. Illuſtre exemplum habes in Maniliana, Maiores noſtri, &c. vbi multa enthymemata a contrarijs ſumpta ad eandem rem confirmandam referuntur.

Ad huius diſputationis finem placet adijcere exemplum, in quo, quę ſupra diximus, facile animaduerti poterunt: exemplũ eſt huiuſmodi.

Neminem eſſe arbitror, viri Veneti, ingenio ita tardo, itaque obtuſo, qui non intelligat, ac videat eas eſſe in rep. retinendas atque omni ſtudio excolendas artes, quæ ad communem ſtatum conſeruandum, amplificandumque vim habent præcipuam. Siquidem omnium animantium generi, id eſt a natura tributum, vt ſalutaria & vtilia expetant, fugiantque contraria: quam ſalutarem naturæ legem, omnes quæ ratione carent animantes perpetuo obſeruare, quis eſt qui ignoret? Quod ſi vlla eſt ars, quæ ad publicas res conſeruandas & augendas plurimum valeat, ea ſane eſt, de qua loquimur eloquentia: cuius auxilijs, improbi a ſcelere reuocantur, inertes ad bonas artes amplectendas excitantur, facinoroſi comprimuntur, bonique in officio continentur: hæc diſcordiæ ſe-

mina

mina e medio tollit, excitatos tumultus ſedat, odia reſtinguit, & pacem qua omnis conſociatio continetur humana, fouet atque conſeruat. Quis igitur ita cętutiet, ita cum natura pugnabit, vt in tanta veritatis luce, nihil videat, & quod vniuerſo populo valde vtile, & belli paciſq; temporibus maxime neceſſarium eſt, id non retinendum, non excolendum putet? cuiuſmodi eſt dicendi facultas, cuius tantæ ſunt vtilitates, quantas vel oratione dicendo, exprimeret, aut animo cogitando, caperet vnquam nemo: ac proinde qui eloquentiam vobis retinendam non eſſe iudicet, modo ratione vtatur, arbitror fore neminem. Quid enim poteſt excogitari amentius, quam id reſpuere, quod conſeruat, id damnare, quod laudibus dignis vix celebrari poteſt, id odiſſe, quod iuuat, & delectat, & id reijcere, quod ſi fuerit eiectum, neceſſario reuocandum erit? Quod ſi eloquentia in ciuitate non placet, placeat infantia, placeat inertia, probentur vitia, retineantur & foueantur diſcordiæ; non ſalus, ſed ruina, non conſeruatio, ſed euerſio contra omnem naturæ vim expetantur, ac deſiderentur; pax denique nihili fiat, de concordia, ſine qua reſp. cōſeruatur & augetur nulla, nulla habeatur cura. Sed de enthymemate, atque epenthymemate hactenus.

Quibus, & quot partibus conſtet ratiocinatio. Diſputatio XX.

QVoniam omnes fere dicendi artifices de propoſita difficultate mentionem faciunt: propterea non fuit a nobis vllo modo ſilentio prætereunda; quãuis, re vera, parum referat noſſe, an plurib. an paucioribus partibus oratoria conſletur ratiocinatio. In cõtrouerſiam itaque venit, an tripartita, an vero quinquepartita cenſeri debeat, ea argumentandi ratio, quam Rhetores, ratiocinationem vocant, quam ſupra nos definiuimus. Quod autem quinque partibus conſtet, his demonſtratur rationibus.

Primum, id nos docet communis bonorum Oratorum vſus, qui ſuas ratiocinationes ex quinque partibus conficiunt. Proponunt enim, & quod propoſitum eſt confirmant, atque copioſe tractant. Propoſitione confirmata, quod oſtendere volunt aſſumunt, aſſumptioniſque veritatem varie demonſtrãt: & tandem quod volunt concludunt.

Deinde, cum propoſitionis & ſumptionis probationes ſint ab illis diſtinctæ, & ad euidenter concludendum ſint neceſſariæ; cum nihil aperte concludatur ex eo, quod tanquam dubium

bium ſumitur, profecto iſtæ duæ partes, ſicuti & aliæ tres, ad eandem pertinebunt ratiocinationem.

Præterea, ſi ſumptionum probationes ſunt ab illis ſeiunctæ, & vna cum ipſis ad vnam, & eandem ratiocinationem conficiendam non pertinent, cur adhibentur? & ſi ſunt rationes per ſe diſtinctæ, quo modo ex omnibus vna fieret ratiocinatio, quæ vere fit?

Denique, huc accedat multorum Rhetorum ſententia. Ergo, inquit Herennianus auctor, perfectiſſima argumentatio eſt ea, quæ in quinque partes eſt diſtributa. Idem docet M. Tullius qui late hanc diſputationem tractauit, & quid ſentiret his verbis expreſſit. Nobis autem commodior illa partitio videtur eſſe, quæ in quinque partes diſtributa eſt: quam omnes ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti, maxime ſecuti ſunt, & quæ apud ipſum ſequuntur. Vbi etiam ait hoc argumentandi genus a Rhetoribus ijs, qui elegantiſſimi, atque artificioſiſſimi putati ſunt, fuiſſe frequentatum. Lib. 2. Li. 2. de Inu.

Duæ ſunt in hac diſputatione apud dicendi artifices ſententiæ, vt teſtatur Tullius: quarum prima quinque eſſe affirmat ratiocinationis partes: quam ipſe ſecutus eſt, in eamque Ariſtotelem, & Theophraſtum trahit. Idem auctor ad Herennium, quos nonnulli alij liben- Claud. Mi. Syn. 27.

Libro 1. cap. 14. Libro 3. *ter ſequuntur. Altera aliorum, qui ſolum tres tribuit ratiocinationi partes. Ita* Rodolphus *Agricola, Trapezuntius, Cyprianus, & nonnulli alij. Vt autem hanc difficultatem plane explicemus, quædam fundamenta nobis ponenda ſunt.*

Primum fundamentum, quamuis omnes fere Dialectici, Ariſtotelem ſecuti, quattuor numerent, vt ſupra ſcripſimus, argumentationis formas, Syllogiſmum, enthymema, inductionem, & exemplum: tamen probabile eſt omnem argumentandi rationem ad ſyllogiſmũ, ſeu ratiocinationem reuocari poſſe: quam ſententiam quidam viri docti amplectũtur; quoddum faciunt, Ariſtoteli non aduerſantur: cum ceteræ aliæ formæ ſint veluti imperfecti quidam ſyllogiſmi. Vna igitur erit perfectiſſima argumentandi forma, quæ vel expreſſe, vel tacite minimum tres continet propoſitiones, cui ſi quid demas, erit imperfecta, ſi quid addas, non erit neceſſarium. Nec me latet eſſe quoſdam, qui duas perfectas argumentandi formas faciunt, ratiocinationem, et inductionem, ſiue enumerationem: duas vero imperfectas, enthymema, & exemplum. Sunt etiam, qui dicant perfectas formas ad Dialecticos pertinere, imperfectas vero ad Rhetores: *quorum ſententiam, & iure quidem optimo, reprehendit*

Rod. lib. 2. c. 14.

Agri-

Agricola. Neque hoc loco diſſerere volumus, an tota ratiocinationis natura in duabus tantum conſiſtat propoſitionibus, an vero etiam in tertia, quam potius eius effectum, quam partem nominares; cum hæc ſubtilius examinare non ſit inſtituti noſtri. Eſto igitur ratiocinatio vna perfectiſſima argumentandi ratio, de cuius partium numero hoc loco inquirimus: & quoniam varijs nominibus a varijs ſcriptoribus appellari ſolent, non erit inutile hanc varietatem, ad eorum ſcripta melius intelligenda, breuiter explicare. Prima igitur pars a Dialecticis, maior propoſitio, & ſimpliciter, maior, nominatur: a Cicerone, propoſitio: a Fabio, intentio, ni nomine intentionis concluſionem nondum probatam, intelligit: a Boethio, propoſitio, & ſumptum: a Rodolpho, etiam expoſitio. Secunda, a Dialecticis minor propoſitio: a Tullio Fabio, & Rodolpho, ſumptio: a Boethio, aſſumptum; a quibuſdam ſubſumptio. Math. Phryſ. *Sunt qui adnotarunt, primam partem a Fabio appellari ſumptionem, ſecundam vero connexionem. Tertiam Ariſtoteles & Boethius concluſionem, Rodolphus etiam intentionem vocat: Cicero complexionem, Fabius vero connexionem. Verum complexio, & connexio potius vocari deberet id, quod Dialectici conſequentiam, Cicero conſecutionem vocat, & id quod*

com-

complexione colligitur, complexum & connexum.

Secundum fundamentum, cum de numero partium ratiocinationis habetur ſermo, id duobus modis intelligi poteſt: altero, vt dubitatio ſit de illis partibus, quæ neceſſario requiruntur ad recte concludendum; & tunc certum eſt ratiocinationem debere eſſe tripartitam, vt Dialectici tradunt: altero modo de tractandi ratione, quam Cicero argumentationem appellat; & tunc etiam certum eſt, apud Oratores præſertim, non ſemper debere certo partium numero conſtare. Nanque interdum vna tantum conſtat parte; vt patet in epicheremate: interdum duabus, vt in entymemate, & complexione, & in ea argumentatione, in qua ſubiicetur complexio: interdum tribus, cum propoſitionibus nullæ ſubijciuntur probationes: interdum quattuor, cum altera tãtum ſumptio confirmatur: ac denique interdum quinque, cum ambæ propoſitiones ſuis muniuntur rationibus, & id ſubijcitur, quod ex illis conficitur: & tunc dubium eſt, an probationes ſint veluti quædam ratiocinationis partes; ita vt ex omnibus vna integra, & perfecta fiat ratiocinatio: quas partes hunc in modum deſcripſit Tullius. Propoſitio eſt, per quam breuiter locus exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet

net ratiocinationis. Propoſitionis approbatio, per quam id quod breuiter expoſitum eſt, rationibus affirmatum, probabilius, & apertius fit. Aſſumptio, per quam id quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argamentatione breuiter exponitur. Exempla quadripartitæ, & quinquepartitæ ratiocinationis pulcherrima habes apud Ciceronem in priore de Inuentione libro, quæ imitari poteris: Quadripartitę, eſt huiuſmodi, Iudices, qui ex legibus iudicatis, & quæ ibi ſequuntur: Quinque partitæ eſt tale: Omnes leges, Iudices, ad commodum reip. & quæ ſequuntur: nos ex Cœliana hæc ſubijcimus exempla.

Crimen, quod ſit cum multis, & ijs quidem viris bonis, commune, non eſt calumnioſe conferendum in adoleſcētem, qui facile decipi poſſit.

Ratio propoſitionis, Nam & uiri boni, quique magis circumſpecti debent eſſe, falli poſſunt adumbrata quadam ſpecie virtutum, vel vitiorum, quæ virtutum imaginem induant.

Aſſumptio, At coniuratio Catilinaria, cuius inſimulatur Cœlius, etiam viros graues, & honeſtos decepit.

Ratio

Ratio aſſumptionis: Quia Catilina mirabil arte calluit ad fallendos homines, vel maxime cautos.

Concluſio, Itaque non eſt coniurationis crimen vni Cælio obijciendum. Propoſitio vltimo loco ponitur: cui ſubijcitur ratio, exemplis confirmata. Aſſumptio paucis eſt initio comprehenſa: cui eſt annexa ratio ex deſcriptione morum Catilinæ: Complexio, vna cum propoſitione videtur eſſe confuſa.

Item ex eadem Cæliana, Propoſitio, ſtudioſus non capitur illecebris voluptatum corporis.

Nam fieri, non poteſt, vt animus libidini deditus, amore capiatur.

At Cælius eſt ſtudioſus: Id enim perſpicuum eſt ex eius oratoria facultate, dicendique vſu.

Non igitur Cælius libidinoſus. Aſſumptio antecedit: Ratio ſubſequitur. Propoſitio tertio ponitur loco, cui ſua ſtatim ſubijcitur ratio. Concluſio, cum ſatis ex præmiſſis appareat, non adijcitur: ni dicere velis cum aſſumptione eſſe confuſam. His hunc in modum adnotatis, ad difficultatem propoſitam hiſce reſpondeo poſitionibus.

Prima poſitio, ſi loquamur de ratiocinatione, vt eſt quædam argumentationis forma, ex

ſe ſuaque natura, ſolum tres requirit partes, propoſitionem, ſumptionem, et complexionem: Immo, ſi quis ſubtilius loqui vellet, complexio, non tam eius pars, quam effectus cenſenda eſt; ſed, vt res habet, partem hoc loco appellemus.

Primum hæc poſitio confirmatur ex communi conſenſu Peripateticorum; quorum ſententiæ Agricola, & Trapezuntius ſubſcribunt, vt alios omittamus ſcriptores. Deinde, non animaduertunt, qui propoſitionum probationes ratiocinationis partes faciunt, eas eſſe nouas & diſtinctas argumentationes, quibus quæ ſumpta ſunt, ſi fortaſſe dubia videntur, vel aduerſarius negaret, confirmantur: quare, cum ſint ratiocinationes diſtinctæ, non erunt alterius ratiocinationis membra: non ſecus ac fulcra, quæ parietem vitium facientem ſuſtentarent. Præterea, ſi vera eſſet contraria ſententia, non tantum quinque, ſed etiam multo plures eſſe poſſent ratiocinationis partes; cum & vnius propoſitionis, & vnius probationis plures poſſint afferri approbationes: adde etiam quod non magis quinquepartita, quam quadripartita dici poſſet, cum vna tantum interdum approbetur propoſitio. Poſtremo, accidit vt propoſitiones probatione egeant, & a quopiam negari poſſint: ad quas confirmandas extrinſecus

trinſecus aliæ petuntur rationes. Quare, cum quæſtionis attributum manifeſte cum medio, ſiue argumento, & argumentum cum quęſtionis ſubiecto coniunctum eſt, nulla eſt opus approbatione, vt quod propoſitum fuerat concludatur. Sed cum accuratius atque ſubtilius hac de re diſſerere nolim, has, prętermiſſis alijs, attuliſſe rationes ſufficiat.

Secunda poſitio, ſi rationem tractandi expli candique argumenti, qua Oratores vti conſueuere ſpectemus, ratiocinationi plures, quam tres poſſumus attribuere partes, quattuor nimirum, & ad ſummum quinque. Quoniam cum Oratores propoſitiones veriſimiles, & probabiles potiſſime ſumere ſoleat, ſi eas, quibuſdam alijs rationibus non fulcirent, eorum ratiocinationes parum ad fidem faciendam interdum eſſent idoneæ; propterea, vt abſolutam conficiant argumentationem, approbationibus vtuntur. Et quamuis vnam propoſitionem interdum varijs modis confirment: tamen, cum ad vnam & eandem rem corroborandam huiuſmodi confirmationes referantur, pro vna approbatione habentur. Et ideo, non erunt multiplicandæ ratiocinationis partes, pro approbationum numero. Et hanc fortaſſe doctrinam inſinuauit Herennianus auctor, cum dixit, Abſolutiſſimam argumentationem quinque conſtare

re

re partibus:idemque Tullius, qui agens de ratiocinatione rhetorico modo explicata, nunc tribus, nunc quattuor, nunc quinque partibus conſtare ait,idque apte varijs exemplis demonſtrat.Et cum hanc quæſtionem propoſuiſſet, dixit argumentationem duo continere,argumentum,id eſt inuentum aliquod probabile, illud nimirum medium, quo ad quæſtionem probandam vtimur,& inuenti artificioſam expolitionem,tractationem videlicet variam.

Tertia poſitio,ſi oratoriam tractandi argumenti rationem ſpectemus,& duabus, & vna interdum propoſitione,ratiocinationis,ſiue ſyllogiſmi vim, Oratores exponunt. Vt patet in enthymemate, complexione,& epicheremate, de quibus ſupra ſcripſimus.

Quarta poſitio, falſum eſt ſolum enthymema & exemplum pertinere ad Oratores, tanquam argumentationes imperfectiores. Hoc affirmauerim cum Agricola contra quoſdam, qui aliter ſentiunt. Noſtra poſitio,ea confirmatur ratione, quod in bonis Oratoribus omnes argumentandi formas reperire licet:vt omittam communem ſcribentium ſententiam.Quod ſi obijcias id, quod non vno in loco ſcribit Ariſtoteles,Enthymema,eſſe demonſtrationem,et ſyllogiſmum rhetoricum;exemplum vero inductionem;Dicerē, ideo hoc affirmaſſe,quod Rhe- Libro 1. poſt. c.1. Libro 1. Rhet. capi.2.

thores

thores, vt plurimum vtūtur Enthymemate, ea de cauſſa, quod, vt idem docet, facilius percipiatur: et exempla plurimum ad perſuaſionem valeant. Diceres etiam de eo Enthymemate loqui, quod ex probabilibus, & ſignis conſtat, quo priuatim Oratores vtuntur. Argumenta quæ pro contraria ſententia allata fuere, facile ex dictis ſolueres.

Quod attinet ad primum, concedimus Oratores dilatandę & exornandæ argumentationis cauſſa, quadripartita, & quinquepartita ratiocinatione vti; ſed negamus probationes eſſe earum partes.

De ſecundo, accidit vt propoſitiones ſint dubiæ: & quę ad eas probandas afferuntur rationes, extrinſecus accedunt, & non vnum cum illis, vt ita dicam, efficiunt corpus.

Tertium facile diluitur, ideo enim adhibentur, vt proprias ratiocinationis partes ſuſtentent; ex quibus omnibus vna dicitur fieri ratiocinatio, per aggregationem quandam: ut ex pluribus lapidibus aceruus vnus.

De vltimo quid ſit dicendum, ex dictis claret.

Quo

Quo pacto argumenta varie tractari poſſint. Diſputatio XXI.

INter alia munera quę ab omnibus dicendi artificibus Oratori tribuuntur, illud numeratur, quod debeat delectare dicendo. Et quoniam is delectare minime poteſt, qui eodem ſemper ſimilique modo dicit, cum ſimilitudo ſit ſatietatis mater: propterea, ſi bonus Orator ſuo voluerit munere fungi, ſimilitudinem fugiat neceſſe erit. Cic.li.1. de Inu.

Id autem efficiet nunquam, niſi variandæ argumentationis rationem præ manibus habuerit. Vitanda itaque eſt Oratori, illa Dialecticorum conſuetudo, qua quæ confirmant, edem fere ſemper argumentandi forma tractant. Et quamuis de re propoſita multa ſcribi ſoleant; nos omnia in pauca, clare atque diſtincte conferre certiſque poſitionibus explicare conabimur.

Prima poſitio, argumentorum, ſiue inuentorum locorum explicatio, & tractatio debet eſſe varia, atque diuerſa.

Primum confirmatur hæc poſitio ex communiſſima omnium magiſtrorum dicendi doctrina, quos priuatim recenſere, in re manifeſta, nihil eſt neceſſe. Variare, inquit Tullius oratio- Li.2. de Inu.

nem maxime oportebit: Nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater: & apud eundem, Antonius, Tractatio varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Deinde, quoniam ars debet imitari naturam, quæ omnibus in rebus mirum in modum varietate delectatur, ac præſertim in illis, in quibus delectationem aliquam eſſe voluit; vt in coloribus, floribus, fructibus, humaniſque aſpectibus. Poſtremo, quia videtur infantilis oratio, quæ eandem vbique formam retinet, & nulla varietate delectat: quo fit, vt nec placeat, nec vim ad perſuadendum habeat.

Lib 2. de orat.

Rodol. li. 3. c. 13

Secunda poſitio, argumenti uaria tractatio, atque explicatio, ex his potiſſimum capitibus ſumi poteſt.

Cic. li. 1. de Inu.

Primo, ex generibus ipſis argumentationis, hoc eſt, ex ratiocinatione, inductione, enthymemate complexione, dilemmate, aliiſque rhetoricis formis ſuperius explicatis. Secundo, varia eiuſdem formæ tractatione, vt ſi ratiocinando nunc duobus, nunc tribus, nunc quattuor, nunc quinque vteremur partibus: exempla apud Ciceronem primo de Inuentione libro habes ſatis accommodata. Tertio, varie eandem arguendi formam diſponendo, quod fiet, ſi non ſemper à propoſitione, ſed, vel ab aſſumptione,

ptione, vel a concluſione, vel ab aliqua propoſitionum probatione initium capiet argumentatio. Vitare autem ſimilitudinem poterimus inquit Tullius, non ſemper a propoſito ordientes: & ſi non omnia confirmando diſputabimus, breuiterque interdum, quæ erunt ſatis aperta, proponemus: quodque ex his efficitur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere. Ipſe in oratione pro M. Cælio a concluſione initium ſumpſit, cum dixit. In M. Cælio nulla luxuries, &c. Adiecit minorem propoſitionem, Audiſtis antea cum accuſaret, &c. Maiorem vero, hoc loco, Atque ſcitote. Cuius ratiocinationis ſententia hæc eſt. Non poſſunt in eodem eſſe ſummus ſtudiorum amor, & prauæ cupiditates: at in Cælio eſt ſummus ſtudiorum ardor: igitur. In eadem oratione prius multis verbis poſuit propoſitionem, Si qua non nupta, &c. cuius ſententia eſt, non poſſe dici adulterum, qui mulierem omnium cupiditati expoſitam cognouerit. Debuit minorem adijcere, dicendo Clodiam fuiſſe huiuſmodi, ſed variauit dicendi figura, & eam interrogat, fateatur ne ſe eſſe talem? Si neget caueat, ne videatur eſſe talis, &c. & poſtea concludit. Quo loco illud admonuerim, cum aliqua propoſitio prętermittitur, potius maiorem, quam minorem relinquendam eſſe: quia maiores propoſitiones cum ſo- In Part.

R 2 *leant*

leant eſſe magis communes, facilius ſubintelli-guntur.

Tertia poſitio, quo pluribus partibus conſtat ratiocinatio, eo pluribus modis variari poteſt. Doctrina eſt manifeſta, quam paullo poſt planius & plenius, variandi modos afferendo, explicabimus.

Quarta poſitio, oratoriam ratiocinationem quattuor potiſſimum partibus abſoluit Hermogenes, quę ſunt iſtę. Prima, quam ipſe, caput appellat, propoſitio nimirum rei, quæ probanda, aut confutanda eſt. Secunda epicherema, hoc eſt maior, & minor propoſitio: quæ pars plura complectitur argumenta, ſeu plures maiores, & minores propoſitiones, quibus ipſum caput, ſeu res, quæ in controuerſiam venit, comprobatur. Tertia explanatio, ſeu expoſitio, ornatuſq; argumenti, & conformatio oratoria, quam ergaſiam, & coſmon, hoc eſt ornatum vocat. Quarta, enthymema, ſeu concluſio rhetorica, quæ conſtat ex comparatione, ſiue contentione contrariorum effectuum, diuerſarumq; cauſſarum. Vt ecce, in cauſſa Miloniana, caput, ſeu propoſitio, ſtatuſue, An licuerit Miloni occidere Romanum ciuem. Epicherema primũ, quia inſidiator: alterum, vim vi repellere licet. Ergaſia, ſiue expolitio. M. Horatius interfecit uxorem. T. Gracchus iure occiſus fuit, &c. vbi

ſplendide

ſplendide epicheremata expolit. Poſtremo, enthymemate ex contrariis conflato concludit. Eſt enim hæc, iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus accepimus, &c. quod attinet ad inuentionẽ capitum; dicemus in materia de ſtatibus: de inuentione epiche779ematum, in tractatione de locis eſt dictum: de ergaſia & concluſione diſputatione ſequenti, vbi ἐργασικοὺς τόπους, *id eſt, tractationis locos, aperiemus. Priore itaque loco proponitur caput, deinde epicheremata, ſiue probationis loci: deinde ea adhibentur, quæ ad expoliendum & exornandum conferunt: deinde conferuntur maiora & minora, paria & æqualia, ex quibus enthymematica fit concluſio.*

Quincta poſitio; ex magna locorum, ſeu argumentorum copia, delectus habendus eſt: ita vt meliora eligantur, inutilia vero, & minus idonea reiiciantur. Conſilium eſt Tullij, Hermogenis & aliorum: quo qui non vtuntur, inueniendi artem ſe habere indicare quidem poſſunt, ſed iudicio ſe carere non obſcure demonſtrant. Hoc autem, inquit Tullius, & in horum locorum expoſitione, & in ceterorum oportebit attendere, non omnes in omnes cauſſas conuenire. Vt enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus literis ſcribitur; ſic omnem in cauſſam non omnis argumentorum copia, ſed ce-

Cice. in Topic.

Li. 1. Libro 2. de Inu.

rum neceſſaria pars aliqua conuenit. Artis itaque eſt, materiam locoſque inuentionis oſtendere: ſed eius qui arte vtitur, iudicij, ea ſeligere, & aptare, quæ proſunt. Neque quiuis locus ita excutiendus atque perluſtrandus eſt, vt omnia ex eo eruas, quæ ibi latent argumenta, quia & frequenter inutiliter laborabis, inutilia inueniendo, & ſæpe in magna egebis copia: & ita ſatis erit ea, quæ poſt aliquam diligentiam, meliora occurrent, excipere.

Quamuis autem, quæ vniuerſe de varia argumentorum, ſeu enthymematum tractatione diximus, ſufficere poſſent: tamen in gratiam tironum, & eorum qui argumentandi artem, & argumentationis formas non ita in promptu habent; rem hanc planius explanare, & variandi enthymematis rationem ob oculos rem paullo longius repetendo, proponere conabor.

Humanæ voces ex quibus omnis fit oratio, ſi ſolæ pronuncientur, nullam ex ſe vim habent ad aliquam integram animi ſententiam explicandam: nihil enim enunciat, qui dicit, Deus, Cœlum, diſputo, niſi aliqua præceſſerit ſententia, vt hoc in loco; Ari. li. 1. Periher.

Dic mihi Dametas, cuius pecus, An Mœlibei?

Non.

vbi negatio illa, ſententiam plenam exponit.

nit. Vt itaque integra enuncietur ſententia, pluribus eſt opus vocibus: vt ecce,

Anus cum ludit, morti delitias facit. Pub.

Et vt verbum verbo, ita ſententia connectitur ſententiæ per aliquam particulam coniunctiuam; ex qua ſententiarum connexione ea conſurgit oratio, quæ narratio, & expoſitio dicitur: Si autem vni ſententiæ adiungatur alia, per particulam, quæ rationem reddit, vt ſunt, quia, quoniam, nam, enim, ſiquidem, & harum ſimiles, oritur oratio quędam, quæ conſtat ex ſententia, & ratione. Vt ſi dicerem, Antonium multum diligo: quoniam in eo bonarum artium perdiſcendarum deſiderium agnoſco maximum. Cur non vehementer defleam Petri Triuiſani Abbatis digniſſimi immaturam mortem, cum ob vitæ integritatem, morum ſuauitatem, animi candorem, religionemque mihi eſſet mea vita carior, eoq; officioſius, & amantius inuenerim vnquam nihil. Ea oratio, quæ præcedit, appellatur ſententia, ſubiectum, propoſitio, dictum, & concluſio: altera vero, ratio; quæ interdum expreſſe, interdum tacite particulam ratiocinatiuam habet. Poſtremo ſententiarum vnio fit per particulam collectiuam, vt ſunt, ergo, igitur, itaque, & ſimiles; & tunc tota oratio appellatur, ratiocinatio, argumentatio, & diſcurſus: quamnis

uis in priori etiam ratione latenter quædam continéatur ratiocinatio: Vt, ſi dicerem Michael eſt adoleſcens ingenio acuto, atque perſpicaci: idoneus igitur ad Dialecticam perdiſcendam. Ea igitur ratio quæ ita ex duabus ſententijs conſtat, vt vna ſequatur ex altera, ſpeciatim enthymema vocatur: quarum altera, ratio, altera, concluſio nominatur: quæ varijs modis connecti poſſunt. Aliquando præcedit ratio & ſequitur concluſio; Vt, omni contentione meos diſcipulos doceo; igitur proficere deberent. Aliquando contra; vt, mei diſcipuli proficere deberent: quoniam in eis erudiendis diligentiam prætermitto nullam. Poteſt præterea addi ratio rationis, hoc modo, Ama Deum, quoniam te amat; multis enim beneficijs te ornauit. Vna ſententia, ſiue concluſio, plures poteſt habere rationes, hoc pacto: Commendo tibi Dom Franciſcum Vicinam Canonicum Peruſinum; quia eſt ſacris literis imbutus, ſingulari religione ornatus, de me bene meritus, & dignus qui ab omnibus ametur: quæ rationes ita ſe habere poſſunt, vt vna ſequatur ex alia, vel vt vna non pendeat ab alia. Poſſunt plures concluſiones vna eademque probari ratione; Vt eſt meus amicus: quare eum ſuſcipe, ei faue, intuamque amicitiam recipe. Et contra

plures

plures rationes vnam, vel etiam plures confirmant concluſiones, hoc pacto. Dominus Felicianus Berardus, eſt literis ſacris quibus tu delectaris ornatus, chriſtianis virtutibus imbutus, meuſque familiariſſimus; ideo maiore ſtudio quo poſſum, eum tibi commendo: ideo ei omnibus in rebus faueas velim: quibus concluſionib. alię poſſent ſubijci rationes; vt priori, quia mihi carius accidere nihil poterit: & poſteriori, quod ita mihi gratum accidet, ac ſi me ornaſſes ipſum. Vna concluſio poteſt eſſe ratio alterius concluſionis, hunc in modum: Quia Hermolaum nobilem ingenuumque adoleſcentem mihi erudiendum tradidiſti, mihi per gratum feciſti: ac proinde tibi his literis gratias immortales agere debui. Interdum vna ſententia plures continet rationes, quæ ad vnam referuntur concluſionem. Vrbanus Longus eſt meus oppidanus, meus diſcipulus, gratus, & officioſus; igitur mea cauſſa eum tuendum ſuſcipe. Aliquando ratio in ipſa continetur concluſione, hoc pacto: Carolum Vaſallum, vt iuuenem chriſtiana pietate imbutum, perlibenter erudio: Et apud Ciceronem, Quem nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſemperque dilexit, in primis amamus, carumque habemus. Quod ſi plures rationes ad aliquid pro-

Libro 1. Epiſt. 7.

probandum allatæ breuiter colligantur, fiet orationis epilogus. Vt, cum igitur ſit hoſpes, amicus, & beneuolus meus, eum tibi commendo. Cum itaque D. Bernardinus Carucius, Canonicus Eugubinus, olim præceptor meus, ſit doctrina, prudentia, pietate, ceteriſque virtutibus, quæ in optimo ſacerdote deſiderantur perornatus, iure optimo, mirifice eum diligo, tibique etiam ſummopere diligendum cenſeo. Quamobrem cum Hieronymus Caoſus ſit adoleſcens modeſtia, non vulgari ornatus, integræ vitæ, & optimæ ſpei adoleſcens, cur eum inſtituendum non libenter ſuſceperim? Atque hi fere ſunt modi, quibus variare licet enthymema.

Ad enthymematis formam reduceres eam enunciandi rationem, quæ fit per circunductionem, in qua, vt in enthymemate eſt quod antecedit, & quod ſequitur, ac proinde ibi quædam latet argumentatio: Ab eo tamen differt, tum quia conſtat diuerſis particulis, aduerſatiuis videlicet; vt ſunt, quamuis, & ſi, quamquam; quibus reſpondent, tamen, verum, & harum ſimiles: tum etiam quod circumductio ex oppoſitis rebus, vel perſonis conflatur. Sumatur exempli gratia hæc concluſio, Commendo tibi Franciſcum Vbaldum, adoleſcentem probum; per circunductionem ita eam probares.

res. Quamuis Franciſcum alij quoque tibi commendauerint: tamen id ego quoque eius præceptor facere debui: vbi, oppoſitionem perſonarum vides: hic vero rerum: Quamuis nolim, vt pro Octauio tuo auxilio digniſſimo, tua poſthabeas negocia: tamen quibuſcunque rebus poteris eum iuues oro. Etſi Pomponio Tranquillo ſtudioſi adoleſcentes nonnihil debent, quod me ad hoc opus conficiendum edendumque ſæpe hortatus eſt; vt qui exiſtimauit eis vtilitati fore: tamen multo magis ei ſunt obligati, quod eorum cauſſa, Grammaticam non pœnitendam in lucem dederit. Poteſt in hac forma reddi ratio rationis, hoc pacto, Quamuis Cæſari Ranuccio, multum me debere ſentiam, quod mihi varios de arte dicendi libros ob ſuam ſingularem de me benemerendi volũtatem prompto animo commodauerit: tamen, multo magis amare eum debeo, quod bonis literis, tum latinis, tum græcis, virtutibuſque omnibus ſit perornatus. Item, quamuis me negligentem vocas, quod ad tuas non reſponderim: tamen, potius pro negligente, quam pro imprudente haberi volui; cum tuis perobſcuris literis quid reſponderem ignorarem. Poſſunt etiam hic multæ reddi rationes, quarum vna non pendeat ab alia: Vt, Quamuis, & ob amicitiam quę mihi eſt cum Andrea Ceruino ſacerdotali dignitate

tate ornator, ſacris literis prædito, chriſtianiſque virtutibus exculto, & ob eius in me merita, cum tibi commendare deberem: tamen id non facio, quia ipſe per ſe ſatis tibi erit commẽdatus. Et vt in enthymemate interdum particulæ ratiocinatiuæ relinquuntur, ita & in circunductione particulæ aduerſatiuæ; vt initio primæ epiſtolæ, primi libri apud Ciceronem videre licet. Poteſt hic argumentandi modus variari ponendo concluſionem vel in principio, vel in medio, vel in fine: Vt, mihi non placet, quamuis alijs placeat: Ego quamuis alijs ſatiſfacio omnibus: mihi tamen nunquam ſatisfacio: Quamuis tibi non commendem Petrum, eum vt iuues velim tamen. In eadem oratione poſſunt eſſe enthymema & circumductio, ſi duæ ponantur rationes, quarum altera ſit recta, altera contraria: Vt, & ſi certo ſcio D. Antoniũ Roſatum a Coſtaciaro, ijs omnibus partibus ornatum, quæ bonum ſacerdotem decent, tibi cõmendatum fore; quia eum obſeruas: tamen mea etiam cauſſa ei faueas oro. Poſſet dilatari hæc argumentatio addendo rationes rationibus.

Nunc, quoniam ſæpiſſime in auctoribus legendis ſyllogiſmi occurrunt hypohetici, vt ſunt illi in quibus inuenitur particula conditionalis, ſi, qui varie tractari ſolent; de eorum tra

ctandi

ctandi ratione aliquid adſcribam: Huius ſyllogiſmi propoſitio duas continet partes, quarum altera eſt antecedens, ſeu propoſitum; altera conſequens, ſeu concluſio: Vt, ſi meus eſt amicus, hæc eſt prima, eum commẽdatum habeas velim, hęc eſt ſecunda. Hæc argumentatio variatur, & dilatatur, vnam vel plures rationes adiungendo partibus: Vt, ſi Antonius non eſſet amicus meus, eum tibi non commendarem, ne tibi moleſtus eſſem: ſed cum ſit meus familiaris, quia diu mecum vixit, mihiq; ſemper eſt affixus, propterea eum tibi commendo. Variabitur ſi rationes omittantur: ſi minor propoſitio non exprimatur, hoc modo, Si bonus eſſes, non me mœrore afficeres: ſi prima pars repetatur: ſi tam prima, quam ſecunda pars multiplicetur; Vt ſi me amas, ſi mihi tuam gratiã ſæpe pollicitus es, &c. hunc hominem non ſolum ſuſcipias velim, ſed etiam beneficijs ornes, &c. ſi prima pars ponatur ſecundo loco; Ego non pupugiſſem, ſi me tuis literis non irritaſſes: In mœrore non eſſemus, ſi amici eſſent fideles. Si ratio ponatur in medio propoſitionis, vel concluſionis; vt, ſi ad me, quod eius erat, ſcripſiſſet, eum certiorem reddidiſſem: ſed mihi, &c. Poteſt etiam in hoc ſyllogiſmo includi enthymema, hoc modo, Si vir doctus eſt, eum tibi commendo, quia nihil eſt, quod magis hominem

minem

minem commendet, quam doctrina: at, vt audio, doctus eſt, &c. Fit interdum hypotheticus ſyllogiſmus particula diſiunctiua, vel, aut, ſiue in quo ſumitur propoſitio a diſtributione partium; vt, aut eſt probus aut improbus: poſtea altera affirmatur, aut negatur, vt negetur, vel affirmetur altera: poteſt variari addendo rationem vtrique parti, ac etiam concluſioni; Vt, aut eſt probus, aut improbus: non improbus, quia ſemper honeſte vixit, probus igitur, &c. Poteſt etiam omitti prima propoſitio; vt, non probus, improbus igitur.

Cic. li. 1. epiſt. 7.

Longior hoc loco fieri poſſet de varia ſimplicis ſyllogiſmi diſpoſitione ſermo, demonſtrando quot modis tres propoſitiones permiſceri queant: Similiter quot modis variari poſſet ſi ex quattuor, aut quinque conficeretur partibus, ſed nolo eſſe in re minus vtili, & quæ ex dictis facile percipi poteſt, lectori faſtidioſus. Vniuerſe igitur dicam, ſyllogiſmum variari poſſe, ſi tres propoſitiones, ita diſponantur, vt modo vna, modo alia præcedat, aut ſequatur, quod Sex modis poterit contingere. Quod ſi loco vnius propoſitionis, rationem poneres, ita vt ex vna propoſitione, & vna ratione, & concluſione fieret, per modum enthymematis, alijs variaretur modis. Quod ſi ambæ remanerent propoſitiones, vnius tantum adie-

cta

cta ratione, quadripartita erit ratiocinatio, & pluribus modis variari poterit. Denique ſi vtrique propoſitioni ſua ſubijciatur ratio conſurget quinquepartita argumentatio, quam varijs quoque modis diſponeres.

Ad maiorem eorum quæ de variandæ argumentationis forma hactenus diximus, addam aliquid de modo concludendi argumentationem per modum epicherematis, hoc eſt vnius propoſitionis, in qua concluſio cum ratione, vnica periodo, & interdum enthymematica ſententia, breuiſſime concluditur; vbi non ita apparent illæ duæ partes, quæ in argumentatione deſiderantur, quarum ex vna tanquam nota, colligitur altera ignota. Animaduertendum itaque eſt diligenter, ad argumenta eruenda, & ad locos in bonorum auctorum ſcriptis notandos, interdum ſyllogiſmos ſeu enthymemata tacita quadam ratione in periodis & ſententijs inueniri: quod, vel coniunctionum, vel interrogationum vi efficitur. Particulæ quibus copulatur ſententia, vt ſit enthymema, poteſtate, ſunt fere iſtæ; Quoniam (quæ vel primo loco ponitur, vel ſecundo, poſt aliam coniunctionem, vel in medio periodi) Vt, & ſic, vt ne, ſi, cum, quod, propterea quod, & ſi quæ ſunt aliæ harum ſimiles: exempla non ſubijcio; tum quia paſ-

ſim

ſim occurrunt; tum etiam, quod nonnulla ſupra attulimus. Per interrogationem autem tacitum enthymema per modum epicherematis his modis variari poteſt. Cur chriſtiani homines inimicos non diligant? hic eſt maior cum concluſione: eſſet enim integer ſyllogiſmus, ſi diceretur, omnes chriſtiani debent inimicos diligere: vos eſtis chriſtiani, igitur. Quin vos qui chriſtiani eſtis inimicos non diligatis? minor cum concluſione. Cur Chriſtiani inimicos non diligant? medius terminus cum concluſione. Cur viri chriſtiani inimicos non diligant, cum id eos doceat Chriſtus? hic adeſt maioris probatio. Cur nos qui ſumus chriſtiani, cum in ſchola Chriſti ſimus, inimicos non diligamus? hic minoris ratio. Atque de varianda argumentatione hactenus: qua de re non tam voluimus ad amuſſim diſſerere, quam rem ipſam vniuerſe & craſſa quadam ratione indicare: nec quæ diximus, aliquis modo ea animaduertat, & quantum vtilitatis ad recte auctorum ſcripta intelligenda et exponenda, videat, inutiliter, aut ab re dicta fuiſſe exiſtimabit. Sed iam ad ea quæ reſtant ſtylum conuertamus.

De argumentorum expolitione.
Diſputatio XXII.

Ut differendi ars, dicendique facultas in eo conuenire videntur, quod ambæ variam ſuppeditant ad aliquid probandum argumentorum copiam; ac proinde Ariſtoteles in topicis propoſitiones varias, in rhetoricis τὰς πίςεις, *id eſt (ſi licet ita loqui) fides pene innumeras attulit; ita in eo maxime diſcrepant, quod rhetorica non ſolum copioſe, ſed etiam ornate probat, quod eſt huius artis maxime proprium; vnde etiam nomen accepit. Oratoris nanque dictio multitudinis auribus eſt accommodanda, ad oblectandos animos, ac impellendos: & ideo genus dicendi, non aridum, non conciſum, non minutum; ſed liquidum, fuſum, ac profluens eligendum eſt: quod is eligere non poteſt, qui expoliendæ amplificandæque orationis præcepta, rationemque ignorat: de qua, hac diſputatione, breuius tamen, quam res tanta dici poſſit, a nobis agendum eſt: & quæ dicenda occurrunt poſitionibus quibuſdam, more noſtro, complectemur.*

Libro 8. Top.

Cic. in orat.

Cic. li. 2. orat.

Prima poſitio, expolitio, quam Græci, ergaſiam, id eſt tractationem, & enthymema vocant,

vocant, eſt oratio quæ confirmationem, ſiue argumentationem corroborat, atque amplificat: ac proinde confirmationi ſubijcienda eſt. Cic. in Part. *Similiter, amplificatio, nihil aliud eſt, quam grauior quædam confirmatio, ſeu vehemens argumentatio.*

Secunda poſitio, expolitio, ſeu amplificatio duplex eſt: altera, quam Græci enthymematicam vocant, nos commentitiam appellare poſſumus: qua confirmationem, ſeu probationem corroboramus, ex ijs potiſſimum locis, vnde enthymemata ſumuntur, quos paullo infra numerabimus: altera, quam Hermogenes πλαστὴν, *nos fictitiam, ſiue fictam diceremus, cum aliquid ad rem amplificandam fingimus.*

Tertia poſitio, omnes loci, qui conferunt ad faciendam fidem, ſiue ad probandum, conferunt etiam ad amplificandum, & expoliendum, ſi eorum congeries & frequentatio quædam cum contentione & acrimonia accedat. Patet hæc poſitio, ex amplificationis, & expolitionis definitionibus paullo ante allatis. Quoniam, cum ſint confirmationes quædam, eoſdem profecto habebunt fontes, vnde dimanent, quos confirmatio habet: idque multorum etiam auctoritate confirmari poſſet.

Quarta poſitio, etſi omnes loci ad amplificandum

candum expoliendumque vim habeant: tamen, aliqui priuatim ad hoc efficiendum conferunt, ac etiam ab optimis Oratoribus adhiberi ſolent: vt ſunt, locus a definitionibus conglobatis, a conſequentium frequentatione, a cauſis conglobatis, ab ijs quæ ſunt orta de cauſſis, hoc eſt, ab effectorum enumeratione, & a partium multarum diſtributione: item a locis coniunctis, ſeu duplicatis, per comparationem, qui non ſolum probant, ſed etiam exornant, & mouent; Et ſunt fere iſti, Similitudo, exemplum, hoc eſt factum, vel ſimile, vel par, vel minus, & facilius: comparatio maiorum & minorum, & contrariorum conflictio; ſub quo continentur omnia oppoſitorum genera, affirmantia & negantia: inter ſe affecta, ſeu relata: priuantia, vel quæ dicunt habitum & deſtitutionem; & aduerſa, quæ omnia ſimul, vna in re, eſſe non poſſunt. Vt autem amplificandi ratio ab his locis petita melius percipiatur, nonnulla ſubijciam amplificationum exempla.

A definitionibus conglobatis eſt hæc apud Tullium amplificatio, Hiſtoria vero, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, qua voce alia niſi oratoris, immortalitati commendatur? vbi ſunt quattuor quaſi hiſtoriæ definitiones. Et Lu.Gra. lib.3.

in Sextiana , eſt hæc pulcherrima ex eodem loco ſumpta virtutis amplificatio . Ignari, quid grauitas , quid integritas, quid magnituto animi , quid denique virtus valeret : quæ in tempeſtate ſæua, quieta eſt , & lucet in tenebris , & pulſa loco , manet tamen atque hæret in patria , ſplendetque per ſe ſemper, nec alienis vnquam ſordibus obſoleſcit, vbi quaſi quinque definitiones ab effectis virtutis ſumptæ continentur. Solent itaque Oratores non definitiones ex genere & proprietate conflatas, ſed deſcriptiones ad amplificandum adhibere .

A cauſſis conglobatis hæc petita eſt apud eundem amplificatio : Cum alij me ſuſpicione periculi ſui non defenderent ; alij vetere odio bonorum inuitarentur; alij inuiderent, alij obſtare ſibi me arbitrarentur , alij vlciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alij rem ipſam publicam , atq; hunc bonorum ſtatum, ociumq; odiſſent, & ob haſce cauſſas tot, tamq; varias, me vnum depoſcerent. A cauſſis iuuantib. conglobatis, eſt hæc amplificatio in oratione pro M. Marcello . Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis , eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus , ne propriæ ſint Imperatorum . Et certe in armis , militum virtus , locorum opportunitas , auxilia

ſociorum,

ſociorum, claſſes, commeatus, multum iuuant. Maximam veropartem, quaſi ſuo iure, fortuna ſibi vendicat: & quidquid eſt proſpere geſtum; id pene omne ducit ſuum. Amplificat poſtea virtutem clementiæ Cęſaris per remotionem cauſſarum iuuantium. Nihil ſibi ex iſta laude centurio, &c.

A cauſſa finali hæc in Tuberonem ſumpta eſſe videtur amplificatio. Quid enim Tubero, tuus ille in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

Ab effectis, Doletis tres exercitus populi Romani interfectos, interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues, eos quoque vobis eripuit Antonius: Auctoritas huius ordinis afflicta eſt, afflixit Antonius: omnia denique, quæ poſtea vidimus mala (quid autem mali non vidimus?) ſi recte ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Ex eodem loco hæc alia manaſſe videtur, Ex omnibus præmijs virtutis, ſi eſt habenda ratio, pręmiorum, ampliſſimum eſt præmium gloria: hæc eſt quæ breuitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur: quæ efficit vt abſentes adſimus, mortui viuamus; hæc denique eſt cuius gradibus ho-

mines in Cœlum videntur aſcendere.

Act.7.in ver. *A conſequentium frequentatione, conſtitue nihil opis eſſe in hac voce, Ciuis Romanus ſum, iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas Ciuitates, iam omnem orbem terrarum, qui ſemper noſtris hominibus maxime patuit, Ciuibus Romanis, iſta defenſione præcluſeris.* Hæc etiam ex eodem loco eſt de

In Lælio *prompta, Quod ſi exemeris ex natura rerum beneuolentiæ coniunctionem, nec domus vlla, nec vrbs ſtare poterit, nec agri quidem cultus permanebit: cui ſubijcitur alia amplificatio ex contrario. Id ſiquidem minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque ſit, ex diſſenſionibus atque ex diſcordijs percipi poteſt: Quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quæ non odijs, atque diſſidijs funditus poſſit euerti?*

Ab actuum ſiue ſignorum enumeratione; Si quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, eripis, ſocios ſpolias, ærarium expilas, ſi teſtamenta inimicorum expectas, aut ne expectas quidem, atque ipſe ſupponis, hæc quidem, vtrum abundantis, an egentis ſigna ſunt?

Orat. 2 in Catil. *A contrariarum rerum conflictione. Hoc vero quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis inſidiari; ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrio-*

ebrioſos ſobrijs , dormiennes vigilantibus?

A pugnantium conflictione, Qua in re mihi ridicule es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares, & virum optimum, & hominem improbum eſſe diceres: eundem tu & honoris cauſſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas. Pro Roſcio. Com.

A diſſimilium rerum conflictione. O tecta ipſa miſera, quam diſpari domino, quamquam quomodo iſte dominus? Sed tamen quam a diſpari tenebantur. Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum, diuerſorium. Quæ in illa villa ante dicebantur? Quæ cogitabantur? Quæ literis mandabantur? iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina. At vero, te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pauimenta vino, madebant parietes: ingenui pueri cum meritorijs, ſcorta inter matres familias verſabantur. Phil. 2.

Ab exemplo, quæ res ad necem Porſonæ Q. Mutium impulit, ſine vlla ſpe ſalutis ſuæ? Quæ vis Horatium Coclitem, contra omnes hoſtium copias, tenuit in ponte ſolum? Quæ vis patrem Decium? Quæ filium deuouit, In para.

acimmiſit in armatas hoſtium copias? Quid continentia C. Fabricij? Quid tenuitas Marci Curij ſequebatur? Quid duo propugnacula belli punici C. & P. Scipiones, qui Carthaginenſium aduentum corporibus ſuis intercludendum putauerunt? Quid Aphricanus minor? quid maior? quid inter horum ætates interiectus Cato? quid innumerabiles alij?

Pulcherrima eſt illa amplificatio miſeriæ eorum qui prouincias, aut ciuitates adminiſtrant apud Tullium, ex adiunctis ſumpta. Ora. pro Flac. *Miſeræ ſunt conditiones adminiſtrandarum prouinciarum: in quibus diligentia, plena ſimulatum eſt; negligentia vituperationum: vbi ſeueritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata: ſermo inſidioſus, aſſentatio pernicioſa: frons omnium familiaris, multorum animus iratus: iracundiæ occultæ, branditiæ apertæ: venientes prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abeuntes deſerunt. Et hæc apud eundem,* In Piſ. *Quid tandem habet iſte curſus? quid iuncti ante currum duces? quid ſimulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania ſunt iſta, mihi crede, delectamenta pene puerorum: captare ap-*

plauſus,

plauſus, vehi per vrbem, conſpici velle. Atque hæc exempla amplificationum attuliſſe, ſufficiat.

Quincta poſitio, expolitionum & amplificationum copia, ex iiſdem locis comparatur, ex quibus expolitiones hauriuntur. Quare percurrendi ſunt loci omnes, & ex ſingulis plura argumenta ſunt colligenda; vt plura attributa, plures effectus, plura ſimilia, plura comparata, & cauſſæ plures, ex quibus fiant conglobationes, atque conflictiones, frequentationeſque. Quæ copia augeri poteſt com morationibus, ſi ad ergaſiam adiiciantur alia periodorum genera, alia verborum ſententiarumque ſchemata: ſi quod non fuit expoſitum, exponatur: ſi quid admirabilius, & præter expectationem adiiciatur. Quæ tractatio ἐπεργασία, *id eſt orationi adiecta exornatio, ſecunda elaboratio, & quaſi conſummata & perfecta expolitio dicitur: per quam locos nondum tractatos ſumimus, & ergaſiæ adiicimus; & maxime locos ſimilium diſſimilium, & comparatorum, quibus nihil eſt, quod magis illuſtret orationem. Ex quibus inferre licet, quod ſit inter epicheremata, & expolitiones diſcrimen. Illa enim ſunt nuda, inornata, & ſolitaria: hæ vero duplicatæ, comitatæ, ac veſtitæ. Quo fit, vt multa exem-*

pla

pla non faciant multa epicheremata, ſed unam ergaſiam.

Sexta poſitio, expolitioni, tanquam totius argumentationis concluſio, addendum eſt enthymema, quo concludatur argumentatio, & corroboretur expolitio. Vt enim expolitio epicheremata, ſeu argumenta corroborat, ita enthymemata argumentoſe expolitionem confirmant. Ex quo percipi poteſt, quod ſit inter enthymema, & ergaſiam diſcriminis: cum hæc argumentis ſubijciatur, illud ergaſiæ: hæc argumenta confirmet, illud ergaſiam corroboret. Concluſio ergo, vt ſupra etiam docuimus, ſit enthymematica, quæ plura complectatur epenthymemata, ſecundarias nimirum argumentationes, quæ ex iiſdem locis ſupra recenſitis ſumuntur.

Septima poſitio, cum duo ſint cauſſarum genera, alterum tenue, ſicuum, & aridum, quod Græci ἄπορον vocant.; alterum copioſum, & abundans, ἔπορον, cum loci argumentorum abundant, vt ſupra monuimus, meliores, ſeligendi ſunt, nimirum probabiles, & neceſſari, & qui facile refelli non poſſint: cum vero locorum inopia laboramus, adhibenda erit dilatatio, per quam vnum argumentum copioſe explicemus, quod his modis fieri poterit.

Primum

Primum cum rem vnam diuerſis enunciamus verbis : vt ſi dicas , in hac calamitate, in hac miſeria , in hac rerum afflicta conditione : Non hoſtes , non extraneos , non amicos , non affinitate coniunctos , auaritia reueretur : Huc ruferres modum quo verbis idem ſignificantibus , idem ſignificamus . Et quod huc etiam facit , ad augendam orationem, & ad comparandam ei granditatem prodeſſe ait Ariſtoteles , ſi definitionem pluribus verbis expoſitam, loco nominis ponamus : vt ſi pro philoſophia, rerum humanarum , atque diuinarum cognitionem dicamus : ſi pro homine , animal prouidum , memor, ſagax, plenum rationis, & conſilij, præclara quadam ratione a Deo informatum. Poterat bonus Poeta duobus verbis dicere , cecidiſſe Troiam ; ſed pluribus verbis copioſe magnificeque rem exagerat, dicendo. Libro 2. Aen.

Nos fuimus Troes , fuit Ilium , & ingens
Gloria Teucrorum : ferus omnia Iuppiter Argos
Tranſtulit : immenſa Danai dominantur in arce.

Cicero in Miloniana breuiter dicere potuiſſet , vidimus incendi curiam , ſed longiore definitione, ita orationem dilatauit , Vidimus templum

templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis; conſilij publici, caput vrbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab vniuerſo populo Romano vni ordini conceſſam, inflammari, excindi, funeſtrari.

Illa quoque ratio, quam ab Antimacho poeta mutuatus eſt Ariſtoteles, mirum & facilem in modum ad amplificandum dilatandumque rem quantumuis exiguam valet; quod multis vitijs, maliſue careat, quæ in alijs rebus inuenirentur, quæ ſunt pene infinita. Vt ſi laudaturus Cæſarem, diceres, eum non fuiſſe crudelem, vt multi duces eſſe conſueuere, non auarum, non contumelioſum, non intemperantem. Hoc dilatandæ orationis genere vſus eſt Cicero, in laudando Pompeio, cum dixit, Non auaritia ab inſtituto curſu ad
In Man. *prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non*
Libro 2. Geor. *vrbis &c. Et latinus Poeta in Italiæ laudibus.*

Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Inuertere ſatis immanis dentibus hydræ,
Nec galeis, &c.

Pro Mur. *Metaphoræ etiam illuſtrem reddunt ora-*
Pro Mil. *tionem: Potuit Tullius dicere, Non potuiſtis veſtram*

veſtram virtutem oſtendere, at maluit tranſlatis verbis ornare, Nullum vobis ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſcique poſſet: vbi duo ſunt translata verba. Et alio loco, pro, illum inuitum in iudicium vocare, magnificentius dixit, Atque illam belluam iudicij laqueos declinantem, iam irretitam teneret.

Epitheta quoque magnam habent vim ad illuſtrandam orationem, modo non ſint poetica: vt eximiam, ſingularemque virtutem Pompeij, &c.

Deinde, cum quæ vna periodo coniunctim ſunt propoſita, poſtea ſectione, & diuiſione ſeparantur: ita vt ſingula ſingulis periodis ſeorſim explicentur, præſertim verbis commutatis; ita vt in vna dicamus paupertatem, in alia, inopiam, in alia egeſtatem &c.

Poſtea, ſi quod prius per affirmationem diximus, deinde per negationem repetemus; vel contra.

Præterea, ſi figurarum varietate in eadem re exprimenda vtemur: vt interrogatione, indignatione, obiurgatione, execratione, &c.

Ad hæc, ſi de eadem re, primum ad vniuerſos, poſtea ad vnum vel alterum, deinde ad reum conuertatur, & tandem ſi ad eos vnde cœpit reuertatur oratio.

Iam

Iam vero, ſi fiat concluſionis primo loco poſitæ, in fine repetitio, quod in Cicerone ſæpe poteris obſeruare; idemque dicas de aliqua probatione, quæ fuerit ſuperius poſita: concluſioni quoque dilatandi & amplificandi caſſa non raro alia ſubijcitur ratio.

Epi. 27. lib. 2.

Deniq; ſi ex eo, quod eſt concluſum, aliquid deducatur. Sunt autem tres modi ex Ariſtotele, quibus aliquid conſequitur aliud: vel poſtea; vt, ſi ſtudet, conſequitur vt euadat doctus: vel ſimul, vt ſi quis bene valet, conſequitur, vt viuat, vel vi & facultate, vt ſacrilegus eſt, igitur fur eſt. Tota itaque dicendi vis atque facultas in duobus potiſſimum verſatur, in contrahendis ijs, quæ late patent, ſeligendo ea, quæ ad perſuadendum vim maiorem habent; & in dilatanda re tenui & contracta verborum copia, dicendi genere vario, varijſque ornamentis.

Octaua poſitio, oratio copioſa, varia, dilatata, atque expolita, ex quattuor potiſſimum capitibus fieri poteſt. Primo ex locorum, qui tractandi ſumuntur varietate: Deinde, ex varijs argumentis, quæ ex vno loco, ex vnaq; circunſtantia eliciuntur: Poſtea ex varietate formarum argumentationis: Poſtremo ex ipſo genere elocutionis, ornamentiſque verborum, & ſententiarum, vt paullo ante diximus, & hic

hic modus eſt Oratori maxime proprius; cum alij duo priores ſint Oratori, cuius ſumma laus eſt rem amplificare dicendo, cum Dialectico communes. Li.3. de orat.

Nona poſitio, ad amplificandum, ſi cauſſa id patiatur, adhiberi debent quæ magna habentur: quorum alia natura, vt cœleſtia, diuina, admirabilia, quæ cauſſam habent obſcuram, & id genus alia: alia vſu, quia videntur hominibus prodeſſe, aut obeſſe vehementius: quorum genera ſunt tria. Nam aut caritate mouentur homines in Deum, patriam & parentes: aut amore, in fratres, coniuges, liberos, & familiares: aut honeſtate, ut virtutum, & maxime earum, quæ ad communem vitam, & hominum vtilitatem referuntur. Hæc ſumpſit Cicero, cum in Catilinam ait, Quapropter, de ſumma ſalute veſtra, & populi Romani P. C. de veſtris coniugibus, ac liberis, &c. Cip.l.1. c.40. Cice. in Part.

Decima poſitio, in amplificationibus, & expolitionibus nihil nimis enucleãdum eſt, cũ hic locus grandia requirat. Illud autem iudicij eſt, quo quaque in cauſſa genere vtamur augendi. In illis. n. cauſis, quæ ad delectationem exornantur, ij loci tractandi ſunt, qui mouere poſſunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem bonorum, ac malorum enumerationes, & exempla valent plurimũ. Cypr. Cice. in Part.

plurimum. In iudicijs accuſatori fere, quæ ad iracundiam, reo plerunque quæ ad miſerationem pertinent dicenda ſunt. Qui autem ad hoc affectus permouendos conferant loci, eos in poſtrema diſputatione percenſebo.

Vndecima poſitio, amplificatione tribus maxime locis opus eſt, vel cum explanamus aliquid, vel cum conciliamus animos, vel cum concitamus. Sed in hoc poſtremo, amplificatio poteſt plurimum; eaque maxima laus Oratoris eſt, & propria maxime. Hæc poſitio, ad verbum, ſumpta eſt ex M. Tullio ſermone tertio oratorio; eſtq; per ſe ſatis manifeſta.

De expolitione tractationeque ab adiunctis ſumpta, ſiue de comprehenſione. Diſputatio XXIII.

CVm nullus fere vlla de re poſſit haberi ſermo, in quem vel omniũ, vel aliquarum circunſtantiarum tractatio, non ſeſe inſinuet, & nihil ſit, quod maiorem ad amplificandum, exornandumque copiam nobis præbeat, quam diligens adiunctorum explicatio; propterea de hoc expolitionis loco, priuatam diſputationem facere voluimus. Quæ autem de hac re ano-

a nobis dicenda ſunt, quibuſdam poſitionibus explicabimus.

Prima poſitio, hæc expolitio ſumitur ab eo loco, quem Dialectici, communiter accidentia vocant: qui cum ſit circunſtantiarum receptaculum, Cicero adiuncta, & ſub eius perſona Antonius, ab vna parte, conſequentia appellauit: alij adiunctorum comprehenſionem, alij appoſitionem, & Græci, circunſtantiæ expoſitionem nominant.

Secunda poſitio, hic locus diuiditur in negotij geſtionem, in ſigna antecedentia, & conſequentia. Quare, cum Orator maximam ſibi ad dicendum copiam vult comparare, a principio vſque ad finem rem totam comprehendat, & quæ rem antecurrunt, comitantur, & ſubſequuntur videat. Sic enim rem omnem comprehendet, & quicquid de ea dici poſſit, facile percipiet.

Tertia poſitio, in circunſtantiarum tractatione hæc potiſſimum ſpectanda ſunt: quis fecerit, quid fecerit, quorſum fecerit, quo modo, quo loco, quo tempore, & quibus auxilijs: ex quibus ſingulis circumſtantijs, ſiquis eas optime diuidere nouerit, non modo amplificationes, ſed etiam integras conficeret orationes.

Quarta poſitio, in huius loci tractatione

T oportet

oportet primum inuenire quæ ſint prima, quæ media, & quæ extrema: deinde hæc colligenda, & ſeligenda ſunt: poſtremo loco diuidenda, vt ſtatim demonſtrabimus.

Quincta poſitio, hic locus primum tractatur breui, perfecta tamen, & abſoluta facti expoſitione: deinde exacta, atque ſubtili rerum ſubdiuiſione, & partitione. Vnde colliges in quo differat ab argumentis, & ab epicherematis, quod hæc expoliantur, & confirmentur, circunſtantiarum, attributorum, perſonarumque tractatione, per acutam & ſubtilem ſingularum rerum diuiſionem. Fluit itaque comprehenſio a circunſtantiarum, ſiue adiunctorum conſideratione, & propoſitione, ſed perficitur, ac corroboratur ex earum diligenti diuiſione ac ſubdiuiſione. Omnia itaque primum adiuncta ſimplici verborum ambitu proponenda ſunt, deinde ſingulæ partes ſubtiliter, & vtiliter ſubdiuidendæ: vbi cauendum eſt, ne partitio ſit puerilis, & inepta, vt eſſet iſta, Quis occidit? pater: quem? filios: quot? tres. Per collectionem ergo adiunctorum tota primum proponitur ſententia; & poſtea ſingula propoſitæ ſententiæ verba ſubdiuiduntur: atque ſubdiuiſio ipſa per fictionem tractatur, dum debere fieri, quæ facta non ſunt, aut non debuiſſe fieri, quæ facta

cta ſunt, dicitur. Diuide itaque in allato exemplo, verbum, tres, per fictionem, hoc modo; ſi vnum, ſi duos occidiſſet, venia fortaſſe dignus eſſet; at cum tres necauerit grauiſſima eſt pœna dignus. Deinde verbum, filios, non inimicos occidit, non extraneos, non ſeruos, non filium meum, non tuum, non alienum, non fratris, non ſororis, &c. Poſtea verbum, occidit, non grauiter correxit, non verberauit, non abdicauit, relegauit, &c. Et quoniam hęc omnia poteſt etiam Dialecticus praſtare, dum diuidit, & ſubdiuidit, Orator adhibebit etiam expolitionem, vt oratio robur neruoſque habeat oratorios. Id autem fiet, ſi ſpiritu producatur, & maiore impetu profluet oratio, & ſi contentiones per contrarias propoſitiones, & conformationes adhibitæ fuerint.

Confirmatio autem, quam proſopopęiam appellat Hermogenes, nihil aliud eſt, quam perſonæ, vel rei deſcriptio, qua rei natura, qualitas bona, vel mala exprimitur: oratio inquam, quæ faciem vultum, & animum hominis oſtendit, qualitatem ve facti ob oculos ponit. Hæc autem confirmatio biſariam fieri poteſt: vel ipſius dicentis oratione, vt fecit Cicero in Quintiana: vel cum fit ab aduerſario, hoc eſt, aduerſarij confeſſione per ora-

 tionem

tionem inducta, cum id res ipſa poſtulat. Vt autem hæc de adiunctorum diuiſione, & ſubdiuiſione doctrina melius percipiatur, vnum, vel alterum proponam ex Marco Tullio exemplum. In oratione pro Quintio, proponit rem hac ſimplici oratione. Iuſſit bona proſcribi eius, qui cum familiaritas fuerat, ſocietas erat, &c. Poſtea per ſubdiuiſionem, Quintij loco, dicit, qui amicum, ſocium, & affinem fama ac fortunis ſpoliare conatus eſt. Ponit etiam facti conformationem, cum ait, factum eſſe auarum, & nullum eſſe officium tam ſanctum, atque ſolenne, quod auaritia comminuere, atque violare non ſoleat. Ponit etiam Quintij, & Næuij conformationem. Etenim ſi veritate &c. In eadem oratione eſt pulcherrima temporis ſubdiuiſio. Si debuiſſet, Sexte, petiſſes ſtatim: ſi non ſtatim, paullo quidem poſt: ſi non paullo, at aliquando: ſex quidem illis menſibus profecto: anno vertente ſine controuerſia. In eadem oratione, ad vadimonium non venit is, & per ſubdiuiſionem, quicum tibi affinitas, ſocietas, &c. Poſtea ſequitur pulcherrima facti conformatio. Illicone ad Prætorem ire conuenit, & cætera: lege locum pulcherrimum. In Roſciana etiam habes alia eiuſdem rei exempla. Subdiuiſiones itaque, periodo, ſpiritu, & conformationibus expoliendæ ſunt,

In Narrat. | In confir.

vt vim roburque obtineant.

Quod ſi vnde ſubdiuiſionum copia ſumatur ex Hermogene peteres; reſponderet, ex re ipſa, ex ſimilibus, quæ extra rem ſunt, & ex maiore, vel ab alicuius totius in minora partitione: a ſimilium enumeratione, & ab oppoſita ratione: Vt ecce, tres ſimul interfecit filios, quid ſi duos? quid ſi vnum? nonne adhuc grauiter puniretis? A ſimilium enumeratione, ſi vel grauiter reprehendiſſet, vel verberaſſet, vel ablegaſſet, abſolui potuiſſet. A ſimili eleganter, proſcriptionem factam a Neuio, loco ſupra citato, exornat Cicero. Ab oppoſita ratione, ſi non necaſſet, nulla de eo ſumenda eſſet pœna: ſi in pace viueremus, nihil contenderem, vt nunc aliquid innouaremus. Poteſt autem partitio fieri, tum deſcendendo ad minora, tum aſcendendo ad maiora, hoc modo. Accepit ſenator centum numos aureos, vt remp. in manus tyranni traderet, graue facimus non modo in viro ſenatorij ordinis, ſed etiam in nobili priuato, immo in ciue, immo in plebeio homine: etiam ſi ſexcenta, etiam ſi mille, etiam ſi ingens theſaurus promiſſus fuiſſet. Hæ omnes comprehenſionis conformationes, a ficta expolitione, de qua ſtatim dicemus, ſumptæ eſſe videntur. Sunt itaque apud bonos auctores hypodiereſes, ideſt ſubdiuiſiones, ſi quis

eas animaduertat, non modo ad docendum, ſed etiam ad inflammandum accommodatæ.

Sexta poſitio, hic adiunctorum, ſeu comprehenſionis locus, eodem tractatur modo, quo capita, ſiue epicheremata, de quibus ſupra diximus, propoſitione, ratione, expolitione, & enthymemate: ſed habet illud priuate, vt hypodiereſi expoliatur.

Septima poſitio, ne oratio auditori pariat faſtidium, adhibendum eſt varietatis remedium: inter alios autem uariationis modos, hos Hermogenes ponit.

Primus per hypotheſim, ſiue fictionem: ſecundus per comparationem a minore ad maius: tertius per commutationem perſonarum: quartus per inuerſionem partium orationis. Nam hypodiereſis conficitur periodo, quæ protaſi, ideſt propoſitione, & apodoſi, ideſt redditione conſtat, quæ inuerti poſſunt hoc modo. Dignus es maxima pœna, cum non hoſtem, non peregrinum, &c. conuerte, ſi peregrinum, ſi hoſtem, &c. quæ cęſim dicta ſunt, poſtea per membra aſcendendo dicuntur hoc modo, Neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit: neque ſenatui modo, ſed etiam publicis præſidijs, & armis. Hoc igitur incommodum, in expolitione, & hypodiereſi tractanda primum fugiendum eſt, ne eadem, & ſibi perpetuo ſimili

Pro Mil.

oratione

oratione vtamur. Illud etiam vitandum eſt, vt ſupra quoque monuimus, ne diuiſionis partes ſint ineptæ, leues, & ridiculæ, & ad rem parum pertinentes; cum eſſe debeant acutæ, & rebus accommodatæ. Quod ſi quæ pars eſt minus grauis, & acuta, præteritione, vel conceſſione prætereunda erit, vt deinde grauiores partes vrgeamus: Vt, quod blande non appellaueris, non curo: quod torue inſpexeris, nihil facio; ſed quod maledictis laceſſiueris, iniurioſe tractaueris, tantum id ab humanitate, a veri amici officio abeſt, &c. Rurſus, cauendum eſt breuitatis vitium, maxime in fictione, de qua cum ſæpe mentio facta ſit, ſeorſim diſputatione ſequenti agetur; vbi non nihil de ea tractatione dicemus, quam Græci ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄχρι τέλου, hoc eſt, a principio vſque ad finem, vocant.

De expolitione per negocij diuiſionem, fictamque exornationem, Diſputatio XXIIII.

S*Vpra, cum de expolitione ageremus, eam in duas diuiſimus partes, in expolitionem enthymematicam, & in fictam: hactenus de prima, nũc de ſecunda agendum eſt. Et quoniam huic ſimilis eſt alia conformatio, quam noſtri, Negocij di-*

uiſionem, Grȩci a principio ad vltimum, ſeu ad finem vocant, de ea etiam, & quidem priore loco diſputabimus: de qua quæ dicenda occurrunt, quibuſdam poſitionibus perſtringemus.

Prima poſitio, negocij diuiſio eſt expolitio, qua ea inquirimus, quæ tacita quadam ratione augeri poſſunt, ac proinde, incrementum vocatur, & plerunque formam inductionis retinet, vt inde aliquid maius inferamus.

Secunda poſitio, huius expolitionis forma duplex eſt, altera per incrementum, altera per enarrationem, ſeu enumerationem eorum quæ ſunt in negocio. Prioris exemplum eſt huiuſmodi in Miloniana, Atqui Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modo, vt Prætor eſſet, non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam his conſulibus Prætor eſſet: quibus, ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certe, ſperaſſet ſe poſſe remp. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. Poſterioris exemplum, in eodem loco, At non P. Clodio mortuo vſitatis iam rebus obtinendum eſt Miloni, vt tueatur dignitatem ſuam. Singularis huic vni conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam morte Clodij cecidit, vos adepti eſtis, ne quem ciuem metueretis: hic exercitationem virtutis ſuæ, ſuffragationem conſulatus, fontem perennem

gloriæ ſuæ perdidit. Rurſus in hac expolitione per diaſtolem, hoc eſt, per diſtinctionem, ſeu dilatationem, hæc adhibetur forma, & hoc, & illud egeſti; vel non tantum hoc, ſed etiam illud: & contra, hoc egiſti, non tantum illud. Introducitur etiam per aſcenſum ad aliquid maius, & ad id quod ſupra maximum eſt. Vt, facinus eſt vincire Ciuem Romanam: ſcelus verberare: prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno, tam neſaria res appellari nullo modo poteſt. Item, ſi ne verbo quidem licet violare pietatem, ne obſequium quidem denegare parentibus; iam in eum qui genuit verberibus vti, an non parricidio proximum videtur? Introducitur etiã per cęſa, & frequentationem. Vt ecce, Recordamini, per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus eius, qui ingreſſus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio: hæc cæſim, poſtea membratim. Neque vero ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui tradidit: neque ſenatui modo, ſed etiam publicis præſidijs, & armis. Rurſus vno & eodem ſpiritu multæ circunſtantiæ comprehendi poſſunt: ac etiam per præteritionem eas ſeparare licet, vt ſupra etiam ſcripſimus.

Tertia poſitio, hoc exornationis genus reperitur, tum in partibus negocij, tum in ſimilibus,

libus, tum in contrarijs, & comparatis, modo aliquid maius inferatur, id nimirum, vt Dialectici loquuntur, quod minus videtur ineſſe. Atque hæc de negotij diuiſione, ſiue incremento: nunc de ficta expolitione ſiue argumentatione dicamus, de qua has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, hæc expolitio, Ficta argumentatio, ficta diuiſio, antitheton, id eſt contentio, & hypotheſis hypotheticaque argumentatio dicitur, Iuriſperiti facti ſpeciem appellarent.

Secunda poſitio, ficta expolitio differt a negotij diuiſione, quod hæc fit per incrementum, & formam inductionis habet: illa vero, ſic ea quæ non ſunt, fingit, vt ſi exiſterent, aliquid aliud peteret. Vt, ſi ſic egiſſes, nos ſic agere oporteret; ſed quia non ſic egiſti, nec nos ſic agere oportet. Eſt enim fictionis munus, non quidem fingere, vt maius inferas ex minore, aut maius ſepares a minore, vt in negotij diuiſione fieri ſolet; ſed potius, vt idem concludas, quod eſt in epicheremate propoſitum, aut contrarium eius, ex repugnantia, vel ſimilitudine rationis deſumptum. Ea igitur eſt fictæ argumentationis natura, vt ex diuiſione negotij, quæ per incrementum fit, & ex ficta diuiſione, tanquam ex negotio & axioſi, vna

fiat

fiat concluſio: quo fit, vt pluribus debeat conſtare partibus, vt ſtatim dicam. Ex quibus intelligeres, in quo ficta argumentatio differat a comprehenſione, & hypodiereſi; quod fictio, vel re, vel poteſtate continet argumentum: illæ non item: Vnde fictio ſemper hypodiereſim, ſeu ſub diuiſionem habet, non autem contra.

Tertia poſitio, plaſton, id eſt fictum, ſiue fictio, tribus conſtat partibus, ni re, ſaltem poteſtate. Vt ecce, ſi Orator mercedem peteret a populo, quod tyranno perſuaſiſſet, vt tyrannidem deponeret, ita argueret. Si non feciſſem, & me facturum antea dixiſſem, non ne aliquod præmium mihi conſtituiſſetis? ita arbitror. Hoc fictum eſt, quia non factum: Ergo poſtquam factum eſt, qua ratione negabitis: hæc eſt concluſio. Additur, axioſis, Graue enim eſt pollicenti ſe facturum quicquam promitere, & ei qui fecit, non perſoluere. Item, ſi in hoſtes talia egeſſes, dignus venia non eſſes: hæc eſt veluti ficta aggreſſio; nunc vero cum non in hoſtes, ſed in amicos & neceſſarios feceris, quid commeruiſti? his verbis aſſumptum cum concluſione circunductum eſt. Et apud Ciceronem, Hoc, ſi vos temere feciſtis, & reip. parum conſuluiſtis, recte iſti ſtudia veſtra ſuis conſilijs regere conarentur; In Maniliana.

ſinau-

ſin autem vos plus tum in rep. vidiſtis, vos his repugnantibus, per voſmetipſos dignitatem huic imperio, ſalutem orbi terrarum attuliſtis: aliquando iſti principes & ſibi, & ceteris populi Romani vniuerſi auctoritati parendum eſſe fateantur.

Quarta poſitio, ficta argumenta ducantur, vel a re geſta, vel a re non geſta, vel a contrario rei geſtæ, hoc modo. A re non geſta, ſi prius, quam rem iſtam geſſi, præmium poſtulaſſem, nonne mihi præmium ſenatuſconſulto decreuiſſetis? &cæt. vbi, non factum, ponitur vt factum in antecedenti. A re geſta, in hunc modum. Quod, ſi non feciſſem, ſed facturū promiſiſſem, maxima mihi præmia polliciti eſſetis, &cæt. A contrario, eum quem ſi tanti boni feciſſet, quantum mali, & incommodi induxit, maximis præmijs afficeretis, eum inquam, impunitum dimittetis? Item, ſi tyranni cędes non ſucceſſiſſet, quid mali non perpeſſus fuiſſem? nunc autem cum feliciter ceciderit, &c.

Vel cum alijs dicas his modis ſumi: primo ab oppoſito eius, quod repertum eſt in ergaſia, hoc modo, Si maiores noſtri religione legum, non Scipionem, ſed alium aliquem reip. præpoſuiſſent, careret noſtra ciuitas ea gloria, quam ex euerſa Carthagine reportauit: vel, ſi

ex

ex patribus tunc aliquis dixiſſet, nihil innouandum fuiſſe, merito vt demens fuiſſet exploſus: ergo, neque nunc probari debet ea ſententia, quando non minus eſt nobis neceſſaria prudentia, dignitaſque Pompei, quam erat tunc fortitudo Scipionis. Secundo, a circunſtantia quæ deſideratur, aut ex contrario eius, quæ reperta eſt in negotio; vt, ſi in pace degeremus, non contenderem, vt aliquid innouaretur. Tertio ex oppoſito totius negotij, aut propoſiti: vt, ſi non feciſſem, ſed facturum me antea dixiſſem, &cæt. & hoc modo, ſi patriam læſiſſem, puniendus eram: ſed cum profuerim, cur tanquam inutilis reijcior? Poteſt autem hæc diuiſio per ſpiritum, cum antitheto & periodo tractari, vt in hoc patet exemplo. Si quis eſſet prudentior, ſi quis fortior, ſi quis continentior Pompeio, non contenderem, nihil hic peterem; cederem profecto conſuetudini, quã tantopere commendatis: nunc vero cum in vno Pompeio hæc omnia cernantur, ſumma ſapientia, ſumma modeſtia, ſumma virtus, tanta rei militaris prudentia, quanta bellum hoc difficile requirit, quis eſt, qui nouos, rudéſque Imperatores potius, &cæt. cenſeat eligi debere?

Quincta poſitio, ficta argumentatio comprehenſionem & ſubdiuiſionem ſequitur: ea itaque

que vti poterimus poſt epicherematum ergaſiam, & epergaſiam. Cum Oratores plerunque ſuas conformationes, ſeu proſopopoeias, fictione & dialogiſmis finire ſoleant. Vt in Quintiana, Si de dupondio ageretur, &cæt. Et in ſecunda Antoniana poſt expolitionem, quæ ſic incipit, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini, &cæt. Orem non modo viſu fędam, ſed etiam auditu: amplificat per exclamationem: poſtea per fictionem. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cętu vero populi, negocium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtris eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit: Quæ fictio incipit ab hypotheſi, & deſinit in apophaſin, id eſt, in aſſertionem.

In prin. *Et in oratione pro Rabirio Poſthumo, ſi extitiſſet in Rege fides, nihil ſapientius Poſthumo: arguit ex non facto: quia fefellit Rex, nihil hoc amentius dicitur. Plura huius argumentationis exempla ſuppeditant orationes pro Roſcio Amerino, Quintio, & Cęcinna.*

Illud hoc loco ex Hermogene adnotauerim, in hypotheſi fugiēdum eſſe breuitatis vitium, quod intelligentiæ aduerſatur. Nam cum duplex

plex ſit tractandæ hypotheſis, ſeu fictionis ratio, altera ſimplex, quæ breuior eſt, altera duplicata, quæ eſt longior; ſi ſententia ſit breuior eſt; ſi ſententia ſit breuior, duplicata tractatione vti poterimus. Simplex ita habet, ſi hoſtem; ſi ignotum, ſi peregrinum verberaſſes, non accuſarem: ſed amicum, ſocium, atque affinem verberaſti. Duplicata fiet, Non autem hoſtem, non ignotum, non peregrinum, ſed amicum, ſocium, &cæt. Itaque quod prius hypothetice diximus, poſtea aſſerendo enunciamus.

Sexta poſitio, cum orator argumentis deſtituitur veris, fictione vtatur: & ſubdiuiſionem, conformationemque ſeu proſopopœiam fictione tractet. Et quoniam Oratores non ſolum ficta argumentatione, & dialogiſmis ſuas expoſitiones; ſed etiam epiphonemate finire ſolent, de eo etiam aliquid dicemus.

Epiphonema nihil aliud eſt, quam acclamatio quædam: qua, quod dictum eſt, per aliquam ſententiam extrinſecus aſſumptam, cum quadam energia, ac vigore, ſpirituque clauditur. Sed, quod foris aſſumitur, non debet eſſe a re de qua dicitur diſſimile, & prorſus extrinſecum: vt, o dij immortales, non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia. In para.

Tantæ

Tantæ molis orat Romanam condere
gentem?

Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes
Pſalm. 2. *qui ſperant in eo. Aliquando id, quod aſſumitur eſt aliqua generalis ſententia, locuſq; & communis. Qua ratione bonus concluſit Poeta, cum dixit,*

Virg. li. 3. Geor.

Amor omnibus idem.

Debet autem acclamatio ſemper habere aliquid maieſtatis, & vigoris, fiduciæque, & ſuperioris ſententiæ admirationem, comprobationemque: quamuis a paucis cognoſcatur, niſi cum admiratione ponatur. Cuiuſmodi non eſt illa,

Virg. li. 1. Aen.

Nox incubat atra.

Et apud Dauidem, illa, Pax ſuper Iſrael; prouerbialis acclamatio, De qua re plura, cum de elocutione agemus. Illud hoc loco adnotauerim, acclamationes non ſolum in argumentatione, ſed etiam in narratione, & omni ſermone locum habere. Fit etiam argumentationis concluſio, epilogo, hoc eſt breui & ſuccincta argumenti repetitione, quæ vel aliquo ſyllogiſmo, vel inductione, vel per contrarium fieri poteſt. Vt, quam non hoc credibile in hoc, quam idem in Clodio non dubitandum, qui ſe interfecto illo, regnaturum putauit? Item, Videte, Iudices, quantæ res his teſtimonijs ſint

confe-

confectæ, Primum, certe his liberatur Milo, &c. Tribus itaque modis, poterit concludi argumentatio, acclamatione extrinſecus aſſumpta, breui rei & totius capitis complexione, & communi aliqua ſententia. Et vt totam hanc de expolitione materiam aliquando concludamus; hic ſummatim omnes eius partes, ex quorundam ſententia adſcribam; quorum doctrina parum a noſtra diſcrepat.

Quattuor ſunt argumentationis partes, Propoſitio, græce, prouole: Ratio, id eſt argumentum a circunſtantia ſumptum: Rationis confirmatio a capitibus primis ſumpta: Exornatio, quam enthymema quidam vocant, alij προσοικοδόμησιν. *Idem autem argumentum vndecim modis aggredi poſſumus; quos modos aggreſſiones, confirmationes, argumentationes, & expolitiones vocant, ſunt autem iſti. 1. Epicherema, id eſt totius argumenti propoſitio, & prouole. 2. Ergaſia, confirmatio, elaboratio, expolitio & efficacitatis diligentia. 3. Enthymema, id eſt acumen, expolitio nimirum ergaſiæ ſumpta ex circunſtantia duorum oppoſitorum, aut ſimilium. 4. Agreſſio, quæ epenthymema dicitur, quia iungit enthymemati alterius circunſtantiæ conſiderationem. 5. Exereſis, vel protimiſis, id eſt, intentio præcipua, quæ per additamentum explet quod non pote-*

rat ex ſeipſo efficere enthymema. Vt in Miloniana, poſt concluſionem enthymematis. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? &cæt. Sequitur exereſis, Præſertim, iudices, cum &cæt. 6. Circunſtantiarum declaratio. 7. Epergaſia, alia elaboratio, ex alio capite reperta; cum ad idem argumentum, alterius loci vis & robur adhibetur: quæ ſecunda elaboratio dici poteſt. Vt enim enthymematis relictas circunſtantias tribuimus epenthymemati, ita epergaſiæ relictos ab ergaſia locos reſeruamus. 8. Violatio, ſeu dilemma, de quo ſupra ſcripſimus, argutiſſima probatio, ſed inuentu difficillima; ſic dicta, quod propoſitioni, duo addat lemmata, id eſt ſumptiones, cum duabus diſtributionibus; Vt, Quid de meis rebus loquar? propoſitio: ſi meminiſtis obtundam: ſin oblitis eſtis, quid proficiam? ſumptiones per diſtributionem. Fit etiam vnica redditione, hoc modo, vel obtundam dicendo, vel nihil proficiam. 9. Diuiſio negotij ab imo ad ſummum, vt ſupra explicuimus. 10. Ficta diuiſio, ſeu fictum argumentum: quo per hypotheſin fingitur quod non eſt, ac ſi eſſet. 11. Concluſio, vel acclamatio, cum epilogo. A quo numero aliqui excluderent violationem cum potius ſit quoddam epicherema, quam epicherematis expolitio. Cum itaque aliqua res

eſt

eſt explicanda, prius proponitur, deinde confirmatur ergaſia, enthymemate, & epenthymemate: quibus additur exereſis, vt eorum vis compleatur. Iam egreditur argumentatio, & per circunſtantiarum enarrationem vagatur, Deinde, rurſus aſſumi poteſt argumentum cum efficacitate per epergaſiam, vel per violationem. Diuiditur ſubinde negotium per incrementa, & per fictionem. Adiungitur epilogus, & epiphonema, quod feſſam attentionem erigit, & mouet.

Neq; exiſtimandũ eſt in omni amplificatione has omnes ſemp eſſe, aut eſſe debere partes, cũ id nõ ſit neceſſe, nec ſemper eſſe poſſint, vt ſupra de partibus diximus orationis: ſed ſatis eſt, quod vniuerſe in varijs exornationibus hæ partes notari poſſint. Ac proinde hæc obſeruatio minime deſpicienda eſt; quod quidam minus prudenter faciunt. Et vt huic diſputationi finis ſit, vnum propono exemplum, in quo omnes fere numeratæ partes cernuntur, ex Miloniana ſumptum. Argumentum ſumitur a ſignis, ſeu ab adiunctis, Milonem pura, atque integra mente, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam reuertiſſe. Additur negotij diuiſio, cum dicitur, Recordamini, & cæt. quod cęſim, & per membra tractatur. Vbi

miſcetur circunſtantiarum expoſitio. Subijcitur argumentum a fictione, Cui nunquam profecto ſe tradidiſſet, & cæt. Subſequitur exereſis, Præſertim omnia audienti, & cæt. Ponitur epiphonema gnomicum, Magna vis eſt conſcientiæ Iudices, & cæt. Tandem adhibetur epilogus, Neque vero ſine ratione, & cæt. Sed de his hactenus: quæ obſcure & fuſe tradi ſolent, nos breuiter, & vt res patitur, & vt potuimus perſpicue.

De illuſtratione ſuffigurationeque argumentorum. Diſputatio XXV.

VT ſupra ex Hermogene docuimus tria eſſe narrationum genera, vnum ſimplex, ſolum ad docendum accommodatum: alterum paullo plenius, non modo ad docendum, ſed etiam ad probandum idoneum; tertium vero illuſtre cuius finis eſt etiam mouere: ita quoq; tres ſunt argumentorum formæ: quarum vna ſimplicem approbationem habet, quæ ad auditorem & iudicem docendũ refertur: altera quæ cum probatione aliquem habet adiunctum motum: tertia illuſtris, & ſuffigurata, cuius finis non ſolum eſt fides & aliquas animorum commotio, ſed etiam eorundem

rundem inflammatio ; & concitatio . In hac propoſita diſputatione priuatim de tertia forma nobis agendum eſt ; de qua has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, illuſtratio eſt oratio quę ſenſum afficit, & animum docet, vt prudentior, & intelligentior fiat: Ex ſenſibus autem magis aſpectum , quam vllum alium commouet : vel hoc modo , Illuſtratio , ſeu ſuffiguratio eſt totius rei de qua eſt controuerſia , illuſtris expoſitio , cum grauitate quadam , ac dignitate : Hanc Græci διασκευὴν ἐνδίασιν, et διατύπωσιν nominant ; alij etiam ὑποτύπωσιν , quod rem oculis ſubijciat . Sunt tamen, qui diſcrimen ponant inter diatypoſin, & hypotypoſin, quod hæc rem tantum oculis ſubijciat, illa vero etiã dilatet, & illuſtret ; ita vt non ſolum videri, ſed & intelligi queat . Vt autem quid ſit illuſtratio melius intelligamus , Hermogenes , nos ad Poetarum ἀφήγησιν , id eſt narrationem , ſeu expoſitionem remittit . Huiuſmodi ſunt apud Virgilium, Cyclopis, apud Ouidium inuidiæ & regiæ ſolis, apud Petronium arbitrum diſcordiæ , pugnæque naualis apud Lucanum , definitiones & deſcriptiones.

Secunda poſitio , illuſtrationum , aliæ ſunt Poeticæ, aliæ Oratoriæ : item aliæ ſunt paruæ, & ſimplices, quæ ſola perſonarum & moda-

rum enumeratione conſtant, aliæ miſtæ, quæ copioſa, & argumentoſa ſuffiguratione, probationibuſque a locis contrariorum ſpeciatim ſumptis fiunt: item aliæ rerum præteritarum, aliæ præſentium, aliæ futurarum.

Tertia poſitio, illuſtratio fit per tres circunſtantias, ſcilicet rei, modi, & perſonæ: quarum princeps eſt ea, quæ ἀπὸ τοῦ πράγματος, hoc eſt, a re, vel a negotio ſumitur. Nomine autem rei intelliguntur omnes facti partes: vt gratia exempli, cędis cogitatio, conſilij de cęde facienda cum amicis ſuſceptio, ad cędem faciendam progreſſio, pugna ipſa, & fuga. Per modum, intelligitur forma, & ratio, qua negotium peractum fuit, id eſt, quomodo; ita vt non ſolum factum ipſum nudum, ſed etiam modus explicetur. Perſonæ circunſtantia, formæ & habitus, morumque notatione, & ſermocinatione, exprimitur; cum perſonis tribuitur ſermo: qua de re non nihil infra dicam, cum de morata oratione ſcribam. Vt autem ſuffigurandi & illuſtrandi ratio intelligatur, quædam eſt animaduertenda rerum diſtinctio, quam in ſequenti poſitione afferam.

Quarta poſitio, duo ſunt rerum genera: alterum, quo continentur quæ omnino facta ſunt alterum; quo quæ probabiliter facta fuiſſe exiſtimari poteſt, quæ Græci εἰκότα, id eſt veriſimilia

riſimilia vocant: Rurſus, rerũ aliæ ſunt præteritæ, vt ſunt illæ de quib. in iudicijs agitur: aliæ præſentes, quæ nunc fiunt: aliæ deinceps euenturæ: quæ omnia rerum genera poſſunt in orationem incidere, & ſuffiguratione tractari: ita tamen, vt priore loco ponantur quæ omnino facta ſunt: deinde quæ probabiliter ſunt geſta; vt in Miloniana narratione Latinus fecit Orator: vbi prius cędem Clodij in via Appia factam ponit: poſtea quæ probabiliter facta fuiſſe crederes. Rurſus, prius res ipſa, poſtea rei modus, qualitas, & forma ſuffiguranda eſt, hoc eſt, ſub oculos ponendæ.

Quincta poſitio, illuſtrationum vſus prius fuit apud Poetas comicos, tragicos, ſatyricos, & epicos, poſtea æmulatione quadam etiam Oratores in ſuis orationibus ſuffiguratione vſi fuere.

Sexta poſitio, Oratoria ſuffiguratio non nihil a poetica diſcrepat: ita vt non ſit eadem apud vtroſque orationis ornandæ artifices, illuſtrandæ rei ratio.

Primum, in eo diſcrepant, quod poetæ non ſolum res probabiles, ſed etiam eas, quæ probabilitate carent per hyperbolem ſuffigurant; Oratores vero, quæ probabilitatem habent. Deinde poetæ in ſuis illuſtrationibus liberiores & copioſiores ſunt: vt patet in ſuffigura-

tione perſonæ ſcribentis apud Virgilium initio primi Aeneidos: Oratores autem mediocres, & modeſti: quorum ſuffigurandi ratio eſt quidem acrior, ſed non ita longa. Quod ſi hac in re duos ſummos conferas Oratores, Demoſthenem ex Græcis, & ex Latinis M. Tullium, videbis illum fuiſſe in illuſtrando remiſſum, hunc a poetica diatypoſi interdum non abhorrere: illum ſingulis illuſtrationibus eſſe contentum; hunc etiam binis & ternis, dum vnam alteri ſubijcit, et grauioribus vtitur additamentis.

Phil. 2.

Septima poſitio, illuſtrationis initium ſumi ſolet a querela, deploratione, admiratione, conuicio, & cæt. Tullius conſueuit ponere prius aliquam moratam ſententiam: deinde paulatim ad exagerationem accedere, vt eſt videre in Antoniana ſecunda, vbi quam diximus huic ſcriptori formã eſſe propriã, eam facile obſeruares. Incipit autem hoc pacto, Sed vt eſt apud poetam neſcio quem, Male parta male dilabuntur: incredibile, ac ſimile portenti eſt, quoniam modo illa tam multa, tam paucis, non dico menſibus, ſed diebus, effuderit, &c.

Apud Neuium.

Octaua poſitio, res tum præteritæ, tum præſentes, tum futuræ illuſtrari poſſunt: omnia enim tempora in orationem cadunt. Sed danda opera eſt, vt congruenti collocentur ordine,

dine, ordine nimirum naturæ; vt priora prius, poſteriora poſterius ponantur: atque etiam diligenter animaduertendum eſt, quid, qua ratione, & quo loco ſuffragatione indigeat.

Nona poſitio, etſi res, tum præteritæ, tum præſentes, tum futuræ ſint ſuffigurationis capaces; tamen magis præteritæ, & præſentes, quam futuræ: namque præteritæ ſunt certæ, & præſentes ob oculos verſantur: ceterum, præterita potius, quam reliqua illuſtranda ſunt, ne nimis longa ſuffiguratio pariat faſtidium. Quod ſi interdum ſequentium illuſtratio neceſſaria erit, Orator auditores rogabit, vt permittant ſe aliquid apertius, ac dilucidius ijs de rebus dicere.

Decima poſitio, quia res prეteritæ veniunt in ſtatum iudicialem, ideo in eo facta, loca, & perſonæ illuſtrantur. Futuræ in ſtatum deliberationis, vt patet in Maniliana, vbi multa illuſtrat Orator: Pręſentes vero ad ſtatum demonſtrationis, & iudicij referuntur. Cicer. 5. Ver.

Vndecima poſitio, cauſſæ nudæ & minime copioſæ, in quibus non ſunt multa facta, illuſtrandi locum non præbent. In his ergo ſuffiguratione deſtitutis cauſſis, ad comprehenſionem, ſeu adiunctorum tractationem, diuiſionem, ſubdiuiſionemque, & ad perſonarum, &

rerum

rerum fictiones con jugiendum erit : id quod fecit in Quintiana Tullius : qua dicendi ratione ad illuſtrandum viam nobis faciemus : & cauſſa quæ alias nuda & obſcura videbatur, diues & illuſtris fiet: cuius rei citata oratio optimum tibi, vt alias diximus, ſuppeditat exemplum.

Duodecima poſitio, in ſuffiguratione texenda, hac vti methodo poſſumus. Primum efferenda eſt propoſitio, quâ orator aliquid noui & magni ſe eſſe dicturum ſignificat, quæ propoſitio debet eſſe acuta & acris : Deinde rei ſuffigurandæ partes, & numerus exponendus, ſeu totius rei ſumma ponenda : Prӕterea ſingulæ rei partes explicandæ; vt dilaniaſti ſupplices, occidiſti flentes, & cætera. Poſtea fiet epanodoſis, id eſt, reuerſio ad totius rei complexionem; vt, & omnia hæc ſcelera perpetraſti, &c. Poſtremo adhibetur ergaſia aliquo propoſito exemplo hiſtorico; in quo digreſſionis ſpatium confici poterit. Exemplum habes in Verrina tertia, vbi de expoliatione fani Pergæ agit Orator. Pergæ fanum antiquiſſimum, & cetera. Exemplorum autem tractatio fit, ſi ponantur ſingula, vel plura ſimul, vt in paradoxo primo fecit Tullius; vel cum reditu, vel ſine reditu.

Decimatertia poſitio, in ſuffiguratione

cauen-

cauendum eſt faſtidium, quod his modis fieri poterit. Primum, ſi non omnia facta, præterita, inſtantia, & futura, ſuffigurabimus: deinde ſi ſuffiguratione vtemur mediocri, & moderata: poſtea, ſectione & diuiſione, vnam illuſtrationem ab alia ſegregando: quod fiet ſi inter vnam & aliam, cur aliquid factum fuerit, explicabuntur cauſſæ. Si quid igitur interijcietur, faſtidium facile remouebitur. Quod in ijs cauſſis potiſſimum præſtandum erit, quæ copioſę, & multiplices ſunt: quæ varias narrationes, & probationes continent. Atq; de ſuffiguratione, & de tota tractandi, amplificandique argumenti ratione hactenus: qua de re longius fortaſſe quam oportuiſſet egimus, ſed vt arbitramur, non ſine vtilitate. Siquidem in ijs, quæ de amplificatione, expolitioneque argumentorum ſcripſimus, ipſos eloquentiæ fontes contineri cum viris in dicendo exercitatis arbitramur. quam obrem, ſi quis ſuas propoſitiones ſuis comprobabit rationibus, rationumque vnamquamque non vna, ſed pluribus confirmationibus muniet, quarum ſingulis ſuas expolitiones, tum a circunſtantijs, tum ex fictionibus ſumptas ſubijciet, an maxima rerum copia abundabit: ſed ne in tota copia egeat, meliora, vt ſupra monuimus, cum iudicio eligat.

Cicer. 7. Ver.

Cic. 7. libro 3.

De

De refutatione, an ſit pars a confirmatione diſtincta, deque eius natura, & vſu. Diſputatio XXVI.

VT confirmatio & confutatio natura ſunt coniuncta: ita tractatione ſimul explicari debent. Cum ergo de confirmatione ſupra diſputatum ſit, nunc de confutatione agamus oportet: de qua pauca dicenda erunt, cum quæ de illa diximus, de hac fere intelligenda ſint. verum, quod confutatio non ſit pars quędam cum probatione coniuncta his poſſet rationibus demonſtrari.

Claud. Min. *Primo, quæ habent nomina definitionem prędeptaque diuerſa, ſunt inter ſe diuerſa; ſicuti homo & leo, eloquentia & ſapientia, caro & ſanguis, grammatica & rhetorica: atqui ita ſe habent confirmatio, & confutatio, igitur.*

Deinde, quę ſeparatę, atque diſtinctę in aliquo toto reperiuntur partes, eę ſunt inter ſe diſtinctę, vt caput manus, pes, & crura, in humano corpore: at ita ſe habent hę duę partes, vt in optimorum oratorum orationibus obſeruare licet; vt omittam, quod dicendi magiſtri ſeorſim de vtraq; diſputant: igitur.

Præterea

Prǽterea a ſimili, deſtruere, non eſt ǽdificare; & contra, ǽdificare, non eſt deſtruere: at cum probamus quodammodo ǽdificamus, corroboramus enim veritatem: cum vero confutamus quodammodo deſtruimus, dum falſitatem euertimus: ſi igitur, probare & confutare non ſunt idem, nec probatio & confutatio idem erunt.

Ad hęc, confutatio eſt tota oratio, qua defenſor vtitur: non erit igitur orationis pars: cum idem non poſſit eſſe totum & pars..

Poſtremo, ſunt orationes in quibus nulla eſt confirmatio, ſed ſola confutatio, vt patet in decima philippica: igitur.

Quod attinet ad opiniones, in re propoſita, nonnulli exiſtimarunt confutationem eſſe partem a probatione omnino diſtinctam: alij vero contra ſenſerunt; vt apud Marcum Tullium Antonius. Solet etiam dubitari vtra ſit difficilior; & quidem Fabius multo difficiliorem exiſtimauit eſſe refutationem. Quid autem de his difficultatibus ſentiendum ſit, nos quibuſdam fundamentis ac poſitionibus aperiemus.

Claud. Min. Synt. 26 Franciſ. Matur. Li. 2. de orat.

Primum fundamentum, de hac re legendus eſt Ariſtoteles libro tertio rhetorices capite de confutatione, Auctor ad Herennium libro primo, Tullius libro primo de Inuentione,

tione, Fabius libro quincto, capite decimoter tio, & Trapezuntius libro tertio. Hanc partem Græci anaſceuem appellant, Latini confutationem, refutationem, Cicero etiam reprehenſionem vocat. Poteſt autem confutatio duobus modis ſumi; vno modo pro tota illa oratione, qua vtitur patronus, ad reum defendendum; altero pro quadam orationis parte, in qua priuatim aduerſariorum rationes refelluntur; & de confutatione hoc modo ſumpta, eſt in præſentia diſputatio. Rurſus, confutatio bifariam fieri poteſt: vno modo afferendo demonſtrationes, per quas contrarium probamus; & talis confutatio, eſt confirmatio quædam: altero diluendo rationes ab aduerſarijs allatas; & hæc confutandi ratio eſt aliquo pacto a confirmatione diuerſa; & de hac ſpeciatim poſita intelligenda eſt dubitatio; an videlicet ea pars in qua ſolum argumenta contraria refellimus, ſit a confirmatione diuerſa, ita vt aliam faciat orationis partem.

Libro I. de Inu. Quinct.

Ariſt.

Secundum fundamentum, confutatio his modis definiri ſolet, Confutatio eſt contrariorum locorum diſſolutio; ita auctor ad Herennium. At Cicero hoc pacto, Reprehenſio eſt per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuatur.

Libro I. de Inu.

tur. Quibus verbis variam confutandi rationem expoſcit, de qua re nos planius infra dicemus. Vel denique, confutatio eſt contrariorum argumentorum quæ allata ſunt, aut afferri poſſunt diſſolutio, & alleuatio, contrarieque partis probatio. Quæ in duas partes diuidi poteſt: in quarum altera, id, quod eſt obiectum diſſoluimus, vt accidit in apologia: in altera, qua per hypophoram, ſeu occupationem & ſublationem obijciendis occurrimus: quo referres ſuſpicionum purgationes, quas de re aliqua haberi veriſimile eſt: vt in Miloniana fecit Tullius, vbi nonnullas de Milone ſuſpiciones diluit. Atque hæc adnotaſſe ſufficiat: reliqua in ipſis poſitionibus dicentur.

Prima poſitio, confutatio, ſiue reprehenſio non eſt alia pars orationis a confirmatione diſtincta.

Patet primum hæc poſitio ex communione Rhetorum ſententia. Ita Ariſtoteles, & Marcus Tullius non vno in loco; & in ſecundo de oratore ſermone hac de re hunc ſcribit in modum. Tunc ſuggerenda ſunt firmamenta cauſſæ coniuncte, & infirmandis contrarijs, & in tuis confirmandis. Namque vna in cauſſis ratio quædam eſt eius orationis, quæ ad probandam argumentationem Libro 2. de orat. Corn. Vltr.

nem

nem valet; ea autem & confirmationem, & reprehenſionem quærit : ſed quia neque reprehendi, quæ contra dicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes: neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas, idcirco hæc, & natura, & vtilitate, & tractatione coniuncta ſunt. Deinde quia vnum & eundem habent finem, nimirum fidem, ſeu veritatis demonſtrationem: ſiquidem, tam qui confirmat, quam qui refellit, rem de qua agitur probare, & demonſtrare conatur: quamuis vnus probando, alter refellendo, id faciat. Sunt enim contraria circa idem, vt Dialectici docent. Præterea Ari.li.1. poſt c.3 *iiſdem vtuntur locis, eadem tractandi ratione, eadem argumentandi forma, & denique iiſdem fere verborum, & ſententiarum luminibus. Poſtremo, quia confirmatio, & confutatio ſæpe permiſcentur; licet facilitatis gratia interdum ſeparentur: non igitur ſunt duæ omnino diuerſæ orationis partes. Quamobrem, cum qui ſua confirmat, aliena etiam refellat: & qui aliena refellit, ſua confirmet, confirmatio & confutatio non erunt omnino inter ſe diſtinctæ.*

Secunda poſitio, longe difficilius eſt confutare, quam confirmare.

Primum, id non vno in loco affirmat Marcus Tullius, idem eleganter demonſtrat loco

citato

citato Quinctilianus. Deinde confirmatio eſt ſimplex, confutatio vero multiplex, & varia: accuſator enim ſolum demonſtrat verum eſſe id, quod probat: at vero patronus, interdum negat, interdum defendit, interdum transfert, excuſat, deprecatur, emollit, & imminuit: ille præmeditatam affert orationem: hic ſæpe inopinatis occurrit. Poſtremo, adde rationem a ſimili; vt facilius eſt vulnera facere, quam facta ſanare; ita facilius eſt accuſare, quam defendere: cum qui accuſat quodammodo ictibus feriat, & qui defendit, acceptis plagis medicinam faciat.

Tertia poſitio, confutatio non eſt ita propria defenſori, vt interdum non conueniat etiam accuſatori. Doctrina eſt manifeſta, quam in ipſis bonorum oratorum orationibus facile obſeruares.

Quarta poſitio, confutatione priuatim opus eſt in duobus generibus cauſſarum, videlicet in deliberationibus, & iudicijs. Siquidem in his multo expreſſius apparet contrarietas, vel adeſt aduerſarius, qui repugnet, aut oppugnare poſſit, quam in laudationibus.

Quincta poſitio, qui prius dicit, debet primum cauſſam ſuam confirmare, & po-

ſtea aliena refellere: qui vero poſterius, prius refellit, poſtea confirmat. Ita Ariſtoteles loco citato docet. Verum, vt idem admonet, ſi plura eſſent, quæ aduerſarius poſſet afferre, tunc, etiamſi quis prius dicat, commodius a confutatione capiet initium: id, quod fecit Fabius, cum eam tractauit controuerſiam, præſtet ne pueros domi erudiri, an in ſcholis. Cicero pro lege Manilia prius probauit, & poſtea confutauit. Pro Cælio, Murena, & Sylla prius confutauit, poſtea probauit. Probat hanc doctrinam Ariſtoteles argumento ducto a ſimili: quia, vt non poſſumus bono animo, quem multorum flagitiorum infamia laborare exiſtimamus, eum in noſtram amicitiam recipere: ita non poſſumus orationem eius, qui poſteriore loco dicit attente audire, cum ab eo, qui prius perorauit, perſuaſi ſimus. Remouenda igitur primum eſt ab audientium animo iam genita perſuaſio. Et quamuis, vt plurimum, qui accuſat ſoleat priore loco dicere; tamen interdum defenſor primum occupat locum Sed petteres, qui fieri id poteſt, cum defenſio accuſationem ſupponat? Facilis eſt reſponſio: quia contingere poteſt, vt reus extraordinarie calumniatus fuerit. Ideo Marcus Tullius in Quintiano exordio conquerebatur, quod

Libro 1. c. 1.

Niphus in ſuis epit.

ſibi,

ſibi, qui caput alterius, famam, fortunaſque defenderet, priore loco cauſſa eſſet dicenda.

Quincta poſitio, is qui confutaturus eſt, Quinct.
vniuerſe hæc ſpectare debet: quid dictum libro 1.
ſit, & quo modo dictum; duo itaque animad- c. 10.
uertenda ſunt, res dicta, & dicendi ratio. Quod ad rem attinet, conſiderandum eſt, an ſit id, quo de agitur, an aliquid extrinſecus aſſumptum. Si primum, vel negandum erit, dicendo non eſſe factum, & id per coniecturas: aut non eſſe id, quod factum dicitur, & hoc per definitionem: vel vtendum erit defenſione, demonſtrando fuiſſe iuſte factum; vel translatione referendo in alium. Deprecatio autem apud Iudices, qui ex legibus ſententiam ferunt, locum non habet; at vero apud Principem habere poteſt. Confeſſione, vt ait Quinct. nihil peius; ſed non apud Deum.
Propterea artificioſiſſimus Vates, per depre Pſal. 50.
cationem, & confeſſionem apud Deum ſuam cauſſam egit; & in peccati confeſſione vim præcipuam, ad veniam obtinendam, poſitam eſſe putauit, vnde ſuam confirmationem auſpicatus eſt, cum dixit, Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & cætera. Quod eſt extra cauſſam adductum, ſed tamen cum ea coniunctum, poteſt eludi dicendo, ad cauſ-

 ſam

ſam non pertinere, non eſſe in eo immorandum; minus eſſe, quam aduerſarius dixit: ſimiliter contraria, ſi peruacanea, & obſcura, & quæ probata non ſunt, non eſt neceſſe priuatim reprehendere: ſed ſi quid in his eſt, quod ad noſtram cauſſam traduci poſſit, id attingendum erit. Optimi enim & ſolertis Oratoris eſt, inuenire in actione aduerſarij, quæ pro ſua cauſſa faciant, aut quæ inter ſe pugnare, aut certe quæ imprudenter ſumpta fuiſſe videantur. Et ſi dubia pro neceſſarijs, controuerſa pro confeſſis, communia pro proprijs, & quæ ad rem nihil faciunt, pro connexis ſumpta fuiſſe dicemus. Rurſus artis eſt adnotare, ſi quid callide prætermiſſum, obſcure dictum, imminutum, & dilatatum ſuit. Habet etiam ironia vim magnam, ad diluenda argumenta, cum quæ dicta ſunt in riſum per contemptum diſſoluuntur. Qua ratione Tullius in ſeptima Antoniana, in præmunitione aduerſariorum Aen. li.4 *dicta apte illudit Huc pertinet illud Virgilianę Didonis.*

Scilicet is ſuperis labor eſt: ea cura quietos
Solicitat.

Pulcherrima etiam & ornatiſſima eſt illa confutatio, quæ fit per altercationem,

quæ

quæ duobus fieri modis poteſt : Dialogiſmo, cum introducitur is qui interrogat, & is qui reſpondet ; vel ſi quis ſe interrogantem, & reſpondentem inſtituat;vt ecce,

En quid agam ? Rurſus ne procos irriſa priores Aen.li.4

Experiar ? Nomadumque petam connubia ſupplex,

Quos ego ſum toties iam dedignata maritos ?

Iliacas igitur claſſes,&c.

Subiectione, cum quærimus quid pro aduerſario & econtra nos dici queat : & ſingulis interrogationibus ſubijcimus rationes : quibus id fieri non potuiſſe, vel factum non eſſe.demonſtramus. Vt ecce, Romæ Sextus Roſcius occiditur, cum in agro Amerino eſſet Filius: literas credo miſit alicui ſicario? Romæ qui nouerat neminem: Accreſciuit aliquem? at quando nuncium miſit? quem? aut ad quem? &c.

Quod attinet ad modum quo dicta ſunt, quæ minus efficaciter, ijſdem verbis referri poſſunt : quæ vehementer, & neruoſe, noſtris verbis mollienda, & minuenda, & cum quadam defenſione proponenda erunt. Aliquando totum crimen obiectum proponitur : aliquando per partes, quarum ſingulæ

ſtatim refelluntur: idque vtilius eſt, cum accuſatio plura habet capita. Denique, diligens defenſor videbit, ſi quid in argumentationis forma ſit peccatum.

Sexta poſitio, cum ad argumentorum ſolutionem venitur, hic poterit obſeruari ordo. Primum vniuerſe alleuanda, ſeu deprimenda erunt, dicendo, ſumpſiſſe falſa pro veris, certa pro incertis: ſimilia, pro diſſimilibus: pugnantia pro conſentaneis, &c. Deinde quæ inania, aut parum firma, aut incerta ſunt, vel ſola negatione, & eluſione refelli poterunt. Poſtea, quæ aliquid firmitudinis habent, ſpeciatim diluenda erunt.

Septima poſitio, in confutandis ſingulis argumentis, vel negandum erit id, quod ſumitur, vel diſtinguendum, demonſtrando ſumptionem eſſe vitioſam, vel aliquid æque firmum, aut firmius in contrarium adducendum, vel ex ijs quæ ſumpta ſunt, nihil concludi, vel contrarium confici dicendum, vel conſecutio in alium ſenſum trahenda erit: ſi quid non occurrat, quo argumentum, aut ſoluatur, aut eleuetur, aliquid ſimile, quod parem difficultatem habeat, aduerſario obijciatur, vt apud Virgilium fecit Manalcas, qui cum neſciret hanc propoſitam a Dameta quæſtionem diſſoluere,

Dic

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus
Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius
vlnas,

Hunc in modum, aliam difficilem quæſtionem proponendo, reſpondit,

Dic quibus in terris inſcripti nomina
Regum Crinit. li. 3. c. 6.
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.

Quamuis, vt arbitror, ſimul difficultatem magnam propoſuit, & propoſitam diſſoluit, ſi recte hic locus intelligatur, quem multi perperam exponunt: ac ſi dixiſſet, in fodinis, ex quibus effoditur aurum, ex quo numi, & floreni fiunt, in quibus Regum nomina inſcribuntur.

Octaua poſitio, vbi defenſor, quod propoſitum fuit reprehenderit, poterit etiam rationem, qua aduerſarius in proponendo vſus fuit ſpectare, & in ea aliquid notare, quod ſit grauiore cenſura dignum. Vt ſi fraude, ſi corruptela, ſi verbis parum honeſtis & idoneis vſus fuerit, &c.

Nona poſitio, argumenta firmiora, ſunt adiunctorum conglobationes, & maxime ſi adſint certæ rerum notæ, quæ non facile refelluntur; tum ob multitudinem, tum etiam

ob qualitatem, quod firmiores ſint: ad quas conglobationes diſſoluendas tres Hermógenes indicauit vias.

Primum itaque hoc argumenti genus ſoluere poterimus, ſi ad ſtatum contrarium confugiamus: ſi aduerſarius vſus fuerit ſtatu abſolutæ qualitatis, quem Græci antilepſin nominant, nos qualitatis aſſumptiuę ſtatu, qui antitheſis vocatur, vtemur, & inde auxilia petemus; hoc eſt, ſi aduerſarius dixerit aliquid abſolute conſideratum, recte fuiſſe factum, nos id refellemus per rationes extrinſecus aſſumptas; vt in libro de ſtatibus latius ſcripturi ſumus.

Deinde ad has rationes euertendas poſſumus vti alio ſtatu: vt ſi aduerſarius ſtatum qualitatis adhibuit, nos ad coniecturam confugiemus; quæ ad omnia aduerſarij adiuncta remouenda maxime idonea eſt.

Poſtremo, ſi adhibuerimus contrariam oppoſitionem, quam metalepſin Gręci vocant: & ſi reijciemus facti cauſſam in alium. Adiunctorum itaque conglobationes, vel contrario ſtatu generis eiuſdem, vel diuerſo, vel oppoſitione contraria diſſoluuntur. Atque hæc de confutatione ſatis videri poſſent, ſi his ea adijcerentur, quæ ſupra de hypophora, diſputatione octaua, diximus: ad quorum tamen

men maiorem expoſitionem, ex Hermogenis doctrina, rurſus quædam alia ſubijcere non pigebit.

Nona poſitio, confutationis partes ex cita to auctore, ſunt quattuor; propoſitio, hoc eſt aditus ad rationem aduerſarij, ſiue denunciatio: vt in præparatione Miloniana, Sed antequam ad eam, &cæt. Subiectio, vel ſubſumptio, id eſt aduerſarij noſtri oratio; vt in eadem oratione, Negant intueri lucem, &cæt. contraria propoſitio, antiprotaſis, id eſt refutationis denunciatio, vt eodem loco, In qua tandem vrbe, &cæt. & ſolutio, id eſt refutatio quæ & contraria defenſio, dicitur; in qua parte aduerſarij argumenta ſoluuntur, & noſtra confirmantur. Speciosa igitur, & perfecta confutatio ex his quattuor conflatur partibus, propoſitione, ſubiectione, contraria propoſitione, & ſolutione. Ex quibus duæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ, occupatio rationis aduerſarij, & ſolutio; aliæ vero duæ magis ad ornatum, quam ad vtilitatem faciunt: quam tamen ſecum afferrent, quando eſſet conciliatione opus: quæ conciliatio in ipſa propoſitione aptanda eſſet: vt in exem plo patet allato, vbi propoſitio magnifice tractatur: dum diſputationis ordo exponitur, aduerſarij in inuidiam trahuntur, & diuiſio-

nes

nes adhibentur. Si itaque cauſſa non requirat ornatum, protaſis & antiprotaſis, prætermitti poterunt.

Hoc loco ex eodem auctore id admonuerim, quod eſt notatione dignum, cum noſtrum caput ſiue argumentum proponimus, id nos ſimpliciter facere debere, nude & ſine ornatu, atque ergaſia, quæ in confirmatione adhibenda ſunt: ne de nobis magna polliceri videamur, & ex fulgure fumum, dare, ſed potius ex fumo lucem. Simus ergo potius copioſi argumentatores, & argumentoſi confirmatores, quam magnifici promiſſores. Quando autem aduerſariorum rationem proponimus, quod fit in refutatione, aliquis adhibendus eſt ornatus, aliqua ve tractatio, quæ vtilitatem contineat, vt illa ex M. Tullio ſuperius allata: cui tres aliæ adijciuntur partes, vt paullo ante expoſuimus: Verum tres priores partes, non tam ſunt confutationes, quam ad confutationem, & ſolutionem præparationes.

Rurſus ex eodem adnotauerim, præparationem ex duabus conſtare partibus, quarum vna enſtaſis, id eſt capitis & intentionis aduerſarij depulſio, & inficiatio, quæ & prima depulſio dicitur; vt, Non tibi licuit occidere Clodium; altera antipariſtatis, id eſt ratio ſubſidiaria depulſionis; vt, etiamſi licuerit

non

non tamen debuiſti occidere Ciuem Romanum indicta cauſſa, in monumentis maiorum, & Tribunum: quæ antipariſtaſis fieri poteſt conceſſione, adhibita etiam amplificatione, vt in allato patet exemplo: & per affirmationem & negationem, tum a reo, tum a defenſore. Inſidias feciſti Clodio, Ego ne fecerim, vt occiderem Clodium gloriæ meæ ſegetem? Hoc totum vocatur cataſtaſis, id eſt cauſſæ conſtitutio, & confutationis, ſiue confirmationis veſtibulum. Ex hac conflictione oritur ſtatus, ad cuius probationem loci probationis, & confutationis inueniendi ſunt: ſed de his latius in materia de ſtatibus.

Denique, ſunt qui ſolutionis capitis propoſiti tres faciunt partes, ſcilicet depulſionem, ſecundariam depulſionem, & violentam inuerſionem, quam alij inter argumenta refutationis reijciunt: Quo tamen genere priuatim vti ſolemus in ſtatu tranſlationis, & in ea oratione, quæ diuinatio, nominatur: Vt, non licet tibi Ciceroni C. Verrem accuſare, quia non fuiſti eius Quæſtor in Sicilia: Soluit Cicero per violentam defenſionem, Immo tibi Quæſtori, quia criminum ſocietate cum Verre coniunctus fuiſti, eum defendere non licet. Ceterum, vbi, vbi ponatur, ſi ſit firma victoriam reportat: & tunc maxime, cum ſubito, & præter

præter expectationem auditur; non ſecus ac ſi telum ab aduerſario contortum, ex improuiſo, in ipſum retorqueretur: vnde, & ἀντιστρέφον, vocari ſolet. Fit etiam violentum, cum non retinetur conſequens ab aduerſario illatum, ſed eius contrarium infertur. Vt ſi quis diceret aliquid eſſe cauſſam ſalutis, & alius inuertendo oſtenderet eſſe cauſſam ruinæ. Sed de his hactenus: nunc allata argumenta diſſoluamus.

Ad primum, negatur conſecutio; non enim ex eo quod varia habent nomina & definitiones, cenſendæ ſunt partes primariæ inter ſe diſtinctæ, cum eundem habeant finem: adde quod vno communi nomine, atque natura conueniunt, vt eſt dictum. Neque eſt par ratio de his duabus partibus, & de ijs quæ in argumento ſumuntur; vt ex ſe manifeſtum eſt.

Secundum eodem fere modo ſolueres: nam licet interdum ſeparate tractentur & explicentur, idque facilitatis, & vtilitatis cauſſa, non propterea ſunt duę partes maiores, ſed ex ambabus vna fit contentio, ſiue probatio: vt docuimus.

Ad tertium, illud ſimile, non eſt omnino ſimile: nam qui deſtruit aliena, ædificat ſua: & qui ſua conſtruit, deſtruit aliena.

Quartum

Quartum nihil conficere ſatis patet ex ijs, quæ primo docuimus fundamento: non enim confutatio in hac diſputatione pro tota ſumitur oratione, qua aduerſario reſpondemus.

Vltimi facilis eſt ſolutio: ſiquidem confutatio illa eſt quædam confirmatio, ſiue probatio: & nullam fortaſſe inuenies ita ſimplicem confutationem, quin ſit cum aliqua probatione coniuncta.

De argumentorum ſolutione. Diſputatio XXVII.

QVamuis, quæ vniuerſæ de argumentorum ſolutione proxima diſputatione dixi, ea ad omnes argumentationis formas diſſoluendas ſufficerent: tamen, in gratiam eorum qui non ſunt ita in dialecticis verſati, quo pacto ſingulæ argumentandi formæ ſolui, aut infirmari queant, priuatim explicare volui. Et cum hac in parte nulla ſit dubitandi cauſſa, rem ipſam aggrediar, breuiterque hoc ordine explicabo.

Lege Ci. lib. 1. de Inu. Cornif. lib. 2. ad Heren. Quinct. li. 5. c. 13.

Primum, per omnes formas percurrendo, earum ſolutionem indicabo: deinde nonnullos modos, quibus argumentationes difficiliores eleuari poſſint recenſebo. Quod igitur ad primum

mum attinet, ſtatuo has poſitiones.

Prima poſitio, falſa complexio, ſiue dilemma, duobus modis reprehendi poteſt; conuerſione, & alterius partis reprehenſione, hoc pacto. Si quis hoc vitioſo dilemmate contendere probare vxorem non eſſe ducendam, Quia ſi formoſam duxeris, habebis communem: ſin deformem, moleſtam, Inuerteres hoc modo, Immo vero ducenda eſt vxor: Nam ſi formoſam duxeris habebis voluptatem: ſin deformem, non communem. Alterius partis reprehenſione, hunc in modum, hoc poſito dilemmate; Franciſcus tibi accuſandus non eſt: nam ſi veretur, quid eum accuſas, qui probus eſt? Si non veretur, quid eum accuſas, qui id parui faciat? priorem partem hoc pacto reprehenderes: Immo accuſandus eſt; quia ſi veretur propter accuſationem ſe corriget. Poſteriorem vero hoc modo: Immo, ſi non veretur accuſandus eſt, quoniam improbus. At vero, verum dilemma confutari nequit, vt ſupra diximus: eſt autem verum, cum conſtat ex veris, & ex ijs quæ vere oppoſita ſunt.

Secunda poſitio, vitioſa enumeratio, duobus modis reprehendi poteſt. Primum, cum dicitur aliquid eſſe omiſſum, quod nos concedere velimus; vt ſi quis enumeratione probaſſet, me vi eum ex ſuo agro eieciſſe, quod nec hære-

hæreditate, nec emptione, nec occupatione, nec vſucapione in eius poſſeſſionem venerim, cum dicere poſſim, dono me ab eo accepiſſe: vel cum aliquid ex ijs, quæ dicta ſunt, ita eſt infirmum, vt facile refelli poſſit: vera autem, & abſoluta enumeratio non eſt reprehenſioni ſubiecta.

Tertia poſitio, ſimplex concluſio, duobus modis reprehendi poteſt. Primum, ſi id quod ſumitur, ſeu propoſitum negetur: deinde, ſi complexionem nō eſſe neceſſariam demonſtretur. Vt ecce, Non propterea, quod eius mater eſt, eum diligit: cum Medea ſuum filium trucidauerit. Quando autem quod antecedit eſt verum, & quod conſequitur cum eo eſt neceſſario coniunctum, reprehendi nequit. Vt ſi ruri erat, cum factum eſt homicidium in vrbe, profecto, non eſt huius culpæ reus.

Quarta poſitio, ſubiectio duobus modis reprehendi poteſt. Primo, cum aliquid prætermiſſum fuiſſe demonſtratur, vt ſupra de enumeratione diximus: Altero, cum vnum eorum quæ numerata ſunt infirmatur, aut ſatius facere fuiſſe confirmamus. Quare cum nihil fere a dicta argumentandi forma differat, eodem refutatur modo: & ideo nihil eſt cur aliquod ſubijciamus exemplum.

Quincta poſitio, ſummiſſio reprehenditur, ſi vna

ſi vna pluresue rationes infirmentur. Quod ſi quæ primo loco poſita fuit, improbetur, aut veram eſſe omnino negetur, nihil aliud præſtare erit neceſſe. Quod ſiqua ex ijs quæ poſteriorem locum tenent, refellatur, reliquas omnes, ad ipſam propoſitionem vſque, improbare non erit difficile.

Sexta poſitio, oppoſitio quattuor reprehenditur modis. Primum, cum propoſitum aliqua ex parte infirmatur, aut negatur; vt ſi negares laborandum eſſe, quando dies eſt: deinde, cum propoſiti oppoſitum non huiuſmodi eſſe comprobatur; vt ſi contenderes, non eſſe in nocte quieſcendum: poſtea, ſi oppoſitum concedatur, ſed tamen aut infirmatur, aut omnino faciendum eſſe negatur; vt ſi diceres, non propterea, quod in die laborandum eſt, ideo in nocte omnino ceſſare oportere; quod ab vtili, & ab honeſto, alijſque locis poſſet confirmari: denique, cum conſecutionis negatur neceſſitas, aut tollendo conſequens, vt tollatur antecedens.

Septima poſitio, violatio, refutatur, ſi eius rei de qua dicitur, aliam eſſe cauſſam, oſtendatur.

Octaua poſitio, inductio tribus poteſt refutari modis. Primo, ſi diſſimilitudinem inter ea ex quibus fit inductio demonſtres: deinde, ſi

vnum,

vnum, vel alterum ex ijs, quæ ſumuntur neges, aut infirmes: vel denique, cum videas quorſum inductio tendat, ſi concludere non ſinas. Quare quidam cautius diſputantes, Socraticam præſertim inducendi rationem, non admittunt.

Nona poſitio, collectio & ratiocinatio reprehendi poſſunt, vnam, vel alteram propoſitionem, tanquam falſam, negando, aut aliqua ratione eleuando, & infirmando: demonſtrando propoſitum fuiſſe vniuerſe, quod non eſt verum vniuerſe, & contra; aut certa pro dubijs, & neceſſaria pro probabilibus. Similiter aſſumptio, ijſdem poſſet confutari modis, aut ſi oſtenderetur, non eſſe propoſitioni accommodatam. Idem dicas de ratione, & rationis confirmatione, expolitioneque a circunſtantijs ſumpta, ſi in ſingulis aliquid falſum, aut minus firmum, diſſimile, & non recte accommodatum inueniatur. Quæ omnia, ſi quis vellet exemplis declarare, & longum faceret, & rem ſatis per ſe explicatam, & notam implicaret, obſcuramque redderet.

Decima poſitio, epicherema refutari poteſt, ſi rationem quæ in eo continetur, falſam, vel infirmam, vel a re alienam eſſe demonſtretur.

Vndecima poſitio, ſorites diſſoluitur, ſi vel partes non eſſe præcipuas, aut etiam alienas

dicatur, vel effectus ex cauſſis remotis, & improprijs eſſe collectos demonſtretur. Vt ſi quis ita argueret, Quicunq; laborat, fit diues: qui diues eſt ſplendide viuit: qui ſplendide viuit, fit libidinoſus: qui igitur multum laborat libidinoſus euadit: vides hanc argumentationem ex cauſſis fieri improprijs: ſimiliter ſorites, negans, nihil conficit, nec bene cohæret: vt ſi dicas: Philoſophia non eſt Theologia: Theologia autem eſt ſcientia: igitur Philoſophia non eſt ſcientia.

Decima poſitio, exemplum, quod eſt imperfecta quædam inductio, deprehenſa diſſimilitudine diſſoluitur. Doctrina eſt plana, quæ nulla eget declaratione. Atque hactenus de primo, quod explicandum propoſuimus: nunc de altero dicamus.

Vndecima poſitio, quando aduerſarij ratio ita erit certa, vt negari aut refelli non poſſit, aut certe vix poſſit, hi poſſunt adhiberi ſolutionis loci.

Lege Trap. libro 3. *Primus, vt inuenias aliquid, quo aduerſarium crimineris, modo ad rem pertineat: vt fecit Tullius in Ligariana; qui cum non poſſet negare Ligarium in Africa fuiſſe, idem damnat in aduerſario.*

Demōſ. in Androc. *Secundus, cum certa de cauſſa, alio loco ſoluere pollicemur. Dum enim iudices vident*

aliud neceſſario nobis dicendum eſſe,facile animũ ab aduerſarij ratione reuocant: quæ poſtea facilius confutatur, cum propoſitis rationibus & auditorum animis ab ea abductis, debilitata fuerit.

Tertius, cum aduerſarij propoſitione conceſſa, aduerſarium ſolum,in eodem crimine verſatum fuiſſe, oſtendimus: Quo modo in Cluentiana, conceſſa iudicij corruptione, Orator ſolum Opianicum huius criminis reum facit. Hac arte Turnus apud Virgilium, a ſe timoris culpam reicit, & ſoli aduerſario Dranci tribuit, & quod rem auget, & exornat, id per irriſionem facit. Virg. li. 11. Aen.

Meque timoris
Argue tu Drance, tot quando ſtragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, paſſimque trophæis
Inſignis agros, &c.

Quartus,cum conceſſa honeſtate,vtilitatem opponimus, cum ſcilicet rem iure factam concedimus,ſed pernicioſam fuiſſe demonſtramus, vel contra.

Quinctus, cum id quod ſolui non poteſt, non tam ad cauſſam pertinere diceres, quam id, quod aut dici ab aduerſarij veriſimiliter non poteſt, aut ſi diceretur facile eſſet refel-

lere. Qua refutandi ratione vſus eſt Tullius in Roſciana: cum ait, parum ad rem pertinere, quod filius rus a patre relegatus fuiſſet; vt eius vita, & mores, a quibus aduerſarij argumenta ducere non poterant.

Sextus, cum id, quod veriſimile omnino videtur, cauſſa aliqua ad rem accommodata, quæ vel ſuſpicione, vel rumore, vel aliquo euentu, alia ve ratione vera eſſe videatur, ſoluitur.

Septimus, cum totum quod dicitur, cum ex multis capitibus conſtet, quorum vnum ex alio pendere videtur paulatim diſſoluitur.

Octauus, cum obiectiones ab aduerſario allatæ ita diſſoluuntur, ac ſi ab aduerſario non fuerint allatæ; ita vt potius narrationi, quam confutationi ſimilis videatur oratio.

Nonus, cum aliquid inuenimus, quod cauendum eſſe aduerſario dicimus: qua ratione ei conſulendo, & eius rei periculum aperiendo, quam ille firmam rationem putauit, cum eius beneuolentia moueri videamur, eam euitare poterimus. Id Cicero in Syllana obſeruaſſe videtur, cum ait, Sed tamen te, a me pro magnis cauſſis noſtræ neceſſitudinis monendum eſſe, & quæ ibi ſequuntur.

Decimus, cum non quod aduerſarius nobis

opponit,

opponit, ſed, vel quod antecedit, vel quod inde ſequitur, ſi eorum magis expedita ſit ſolutio, ad ſoluendum prius aggredimur.

Vndecimus, cum rerum multitudine ita auditor opprimitur, vt eius rationis, quam non facile ſolueres, obliuione capiatur. Demōſt. ī Aeſchi.

Duodecimus, cum obiectio non negatur, ſed aduerſarij intentio improbatur.

Decimuſtertius, cum nomen pro nomine ponitur: vt ſi pro exule, vieiectus, diceretur.

Decimuſquartus, cum aduerſarius nos lege vrget, & nos eam præterire dicimus, & ex ſola legislatoris intentione, quod obijcitur, ſoluimus, aut ſoluere videmur.

Decimuſquinctus, cum ex vtraque parte ſimilis quædam ad cauſſam adferri videtur ratio: ſed tunc comparatione opus eſt; qua aduerſarij imminuatur, noſtra vero augeatur ratio. Demōſ. p Chteſiph.

Denique, cum in re verſamur difficili factis falſa oſtendere, difficilia difficilibus obijcere, & ſi res patiatur riſum mouere, ad artem pertinet. Vnde apud Virgilium Turnus, in reſponſione ad Drancem, Lib. 11.

Pulſus ego? aut quiſquam merito fœdiſſime pulſum
Arguet Illiaco tumidum qui creſcere Tibrim

Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum, &c.

Atque hæc de illis duobus propoſitis capitibus breuiter dixiſſe ſufficiat: de quibus, ſi quis plura deſideraret, Herennianum Auctorem, Tullij librum priorem de inuentione, & Trapezuntium legat; ſed ei, qui ſolum ſcitu ſunt neceſſaria cognoſcere cupit, quæ nos diximus, ſatis eſſe poterunt.

Li. 2. de orat. *Antequam autem huic diſputationi finem facio, quædã, ad hunc locũ, pertinẽtia Antonij verba, adſcribere placet: qui, cum de duplici cauſſarum genere, quorum alterum in argumentis, alterum in animorum permotione potiſſimum conſiſtit, verba feciſſet, hunc in modum diſſeruit. Summa denique huius generis hæc, vt ſi in refellendo aduerſario firmior eſſe oratio, quam in confirmandis noſtris rebus, poteſt, omnia in illum conferam tela: ſin noſtra facilius probari, quam illa redargui poſſunt, abducere animos a contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Duo denique illa, quæ facillima videntur, quoniam quæ difficiliora ſunt non poſſum, mihi pro meo iure ſumo: vnum, vt moleſto aut difficili argumento, aut loco, nonnunquam omnino nihil reſpondeam: Quod forſitan aliquis iure irriſerit:*

Quis

Quis enim eſt, qui id facere non poſſit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate diſputo; confiteorque me, ſi quæ premat res vehementius, ita cedere ſolere, vt non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto, fugere videar; ſed adhibere quandam in dicendo ſpeciem atque pompam, & pugnæ ſimilem fugatam; conſiſtere vero in meo præſidio, ſic vt non fugiendi hoſtis ſed capiendi loci cauſſa ceſſiſſe videar. Alterum eſt illud, quod ego Oratori maxime cauendum & prouidendum puto, quodque me ſolicitare ſumme ſolet, non tam vt proſim cauſſis, elaborare ſoleo, quam vt ne quid obſim: non quin enitendum ſit in vtroque: ſed tamen multo eſt turpius Oratori, nocuiſſe videri cauſſæ, quam non profuiſſe. Et alio loco, Quid multa? omnis cura mea ſolet in hoc verſari ſemper, (dicam enim ſæpius) ſi poſſim, vt boni aliquid efficiam dicendo: ſi id minus, vt certe ne quid mali. Facile ſane præceptum, ſed diligenter a bono Oratore obſeruandum. Atque de hac diſputatione, ſatis.

De oratione morata. Diſputatio XXVIII.

Sapienter equidem Thraſymachum, & quoſdam alios dicendi magiſtros reprehendebat Plato: qui dum de arte, quæ ad motus faciendos, & ad perſuadendum refertur, præcepta dabant, nihil de animorum, & perturbationum varietate præcipiebant: cum nemo poſſit affectus tractare, ac mouere, vel inde aliquid perſuadere, qui eorum ignorauerit naturam. Non ſecus ac ſi quis vellet verum docere, & quæ eſſent vera, & falſa, aut veritatis falſitatiſque naturam ignoraret: vel ſi medicus, vellet medicamentum aptum ad ſanandum adhibere, & corporum habitus non cognoſceret. Eſt itaque ad perſuadendum, fidemque faciendam morum cognitio, vt planius paullo poſt demonſtrabitur, penitus neceſſaria. Vt autem quorſum hæc diſputatio tendat, & quid in præſentia nobis explicandum eſt, intelligatur, quædam notanda nobis præmittenda ſunt.

Primum, de moribus, ex quibus morata fit oratio, ſeu quorum cognitio ad moratam orationem conficiendam eſt neceſſaria, duobus modis diſputari poteſt; primo, explicando naturam virtutum, & perturbationum, ſeu affe-

ctionum animi, quas nomine morum hoc loco comprendimus; demonſtrando, quæ & quot ſint, quæ earum proprietates, & ſpecies: qua ratione libro ſecundo de Inuentione his de moribus non nihil diximus. Altero modo, docendo qua ratione, vel in nobis, vel in alijs morum bonorum, vel malorum ſignificatio præberi queat: & qui ſint loci, vnde mores aperiri ac manifeſtari ſoleant: atque hoc quidem pacto, in hac diſputatione de moribus a nobis agendum eſt: vbi etiam qui ſit morum, ſeu moratæ orationis vſus atque vtilitas explanabitur.

Deinde notandum eſt, orationem aliquam poſſe dici moratam duplici de cauſſa: vel quia per eam alicui perſonæ, eam deſcribendo, eos tribuimus mores, qui eam decent; vt faciunt Comici et Tragici in ſuis operibus conficiendis, dum vel ſenem, vel iuuenem, vel ſeruum, militemve deſcribunt: vel quia ita de nobis, aut de alijs loquimur, vt vel noſtros, vel alienos notemus mores: quorum notatio vim ad perſuadendum, & mouendum habet maximam: de quo orationis genere loquens Ariſtoteles, dixit, vim habere ad perſuadendum κυριωτάτην, ideſt præcipuam. Et de morata oratione ſub hac conſideratione, & in hunc finem nos priuatim diſputaturi ſumus: de qua quæ dicēda

occur-

occurrunt, more noſtro, quibuſdam poſitionibus complectemur.

Prima poſitio, partium animi, atque etiam affectionum vis, atque natura ab Oratore, & dicendi magiſtro cognoſcenda ſunt.

Li. 1. de arte dicen.

Primum, quoniam vt alibi docuimus, ſunt veluti oratoris materia; cum hominum animi, non ſecus ac a medio corporis affectiones, ab Oratore dicendo tractandi ſint. Deinde, quoniam qui hæc ignorauerit, moratam orationem efficere, aut quomodo efficiatur docere, minime poterit.

Secunda poſitio, animi vires, quæ priuatim ab eo qui dicendi artem profitetur cognoſci debent, ſunt tres: vis intelligendi, qua cognoſcimus & iudicamus: vis appetendi, ſeu cupiendi, & vis iraſcendi; illa bonum ſimpliciter propoſitum deſideramus, hac bonum arduum: quas conſequuntur omnes animi affectiones; vt amor, deſiderium, ſpes, ira, & aliæ, de quibus libro ſecundo de Inuentione diximus.

Tertia poſitio, morum cognitio eſt Oratori maxime neceſſaria.

Primum, talis notitia confert ad orationes moratas faciendas & cognoſcendas. Deinde ad hominum animos permouendos, ac tractandos; cum pro morum varietate, va-

rie

rie afficiantur homines. Deinde, ad probandum & perſuadendum: cum ex moribus facile aliquid conijcere liceat: eum enim iniuſte egiſſe non difficile probares, quem auaritiæ vitio teneri demonſtraſſes. Deinde, ad perſonarum deſcriptiones faciendas, & ad multas ſententiarum figuras exprimendas. Deinde, quoniam Orator ſępe, depoſita narrantis perſona, varias pro affectuum varietate, dum poſtulat, cohortatur, conſolatur, obiurgat, imprecatur, admiratur, miſeretur, gratulatur, indignatur, dubitat, vel denique inuocat, & exclamat, ſuſcipit perſonas. Poſtremo, ne plures vtilitates percenſeam, confert ad communem vitæ vſum: ſiquidem, qui hominum mores nouit, qua ratione cum eis verſari debeat, facile intelligit: ex quo loco Poetarum Pricneps Homerus, mirifice laudauit Vlyſſem cum πολύτροπον, appellauit: Cum hæc ſit, vel maxima ſapientiæ pars, vt & alios, & nos cognoſcamus ipſos: quæ notitia ex morum cognitione maxime pendet. Sicut medico diligenti, inquit Antonius, priuſquam conetur ægroto adhibere medicinam, non ſolum mor bus eius cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt; ſic equidem cum aggredior ancipitem Li. 2. de orat.

tem cauſſam, & grauem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque verſor, vt odorem quam ſagaciſſime poſſum, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quo deduci oratione facillime poſſe videantur. Ideo alio loco dixit, Locorum notitiam parum prodeſſe ei qui ciuitatis conſuetudinem, inſtituta, mores, ac voluntates ciuium ignorat.

Quarta poſitio, morum, ſiue affectionum genera ſunt duo: nam alij dicuntur vehementiores, quos Græci πάθη, nos perturbationes vocamus, ni paſſiones, dicere velis: alij leniores, quos illi ἤθη, nos mores ſpeciatim appellamus. Vbi enim eſt maior quædam motus animi ſignificatio, vt ex repentina lętitia, ex improuiſo periculo, ita vt a proprio modo loquendi, is qui loquitur declinet, ibi maior ponitur affectus, & magis perturbata apparet oratio. Quando vero ſine vehementi perturbatione aliquid noſtra indicat oratio, tunc ſolum leniores affectiones apparent: vt ſimplicitas, timor, ruſticitas, voluntatis & ſententiæ ſignificationes, quibus quid ſentiamus, & velimus oſtenditur: vt cum dicimus, ita nos voluiſſe, ita putaſſe. Quo fit, vt mores, vel ſola habitus mentis ſenſuſque expoſitione veluti allocutione, & relatione manifeſtentur;

tur ; vel contentione aliqua orationis, ex aliqua vehementi perturbatione . Referuntur autem, vel ſolo decentis teſtimonio, vel etiam alicuius rei ſubiectione deſcribendo perſonam aliquam moratam , aut etiam rem aliquam per proſopopœiam. Quare mores qui manifeſtantur, vel exprimunt appetentis partis habitum, vt ſpem, cupiditatem, & metum, vel intellectus ſententiam, & opinionem, vel noſtram, quæ manifeſtatio , adiudicatio dici poteſt, vt ſi dicas, arbitrabar fore; vel alienam, vt cum dicitur, ita viſum eſt ſenatui: quibus, quæ dicta ſunt manifeſtantur: quarum aliæ ſunt confirmationes dubiæ; vt ſi dicas, ni fallor, ita mihi videtur; aliæ certæ, vt ita eſt , certo ſcio . Si itaque ſimpliciter mentis habitus deſignetur, vt ſi dicas, vereor, timeo, mores ſignificantur: ſi adhibentur maior affectus, vt ſi dicas, Hei mihi perij , patheticæ perturbationes deſignantur: quod ſi adderetur etiam perſonæ qualitas, adhuc maior fieret expreſſio , vt ſi diceres, Heu me miſerum perij . Quas omnes animi ſenſuſque manifeſtationes, deſignationes aliqui vocant. Eſt ergo deſignatio, relatio teſtimoniumque animi ſenſuſque occulti, quæ dicentis teſtimonio fit. Quod ſi manifeſtatio fiat per ſubiectionem , ſeu notationem perſonæ, demon

ſtrando

ſtrando eius notas, qualitates, & habitum, erit perſonarum deſcriptio per ethologiam. Vt cum dicitur

Cui talia fanti
Virg.li.6 Aen. Ante fores ſubito non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, &c. *Item*
Gelidus Teucris per dura cucurrit Oſſa tremor.

Quæ, vel vnica voce fieri poteſt, vt ſi dicas, eſt puer, eſt miles, eſt, fœmina, eſt Græcus, quæ voces aliquos bonos, vel malos mores deſignant: aut pluribus, vt apud Martialem,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Pro leg. Agr. *Et apud Tullium. Iam deſignatus, alio vulto, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur: veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante, barbaq; maiore: vt oculis & adſpectu denunciare omnibus vim tribunitiam, & minitari reip. videretur. Verum tamen eſt, quod frequentiſſime deſignatio, & notatio ſimul iuncta inueniun-*

inueniuntur; Vt obſtupui (deſignatio eſt) ſteteruntque comæ, & vox faucibus hęſit, notatio: ſed hæc frequentius ſine illa. Tertio loco animi ſenſus manifeſtantur allocutione, vel directa oratione, quam Emporius pramaticam vocat, quia gerendæ rei cauſſa inducitur: Vt hæc, Empor. Virg. li. 1 Aen.

Maturate fugam, Regique hæc dicite veſtro.

Alij elatam appellant, quod cum contentione & elatione quadam efferatur ſententia.

Eſt enim humana oratio duplex: vna quieta, quam ſermonem appellares: altera excitata & affecta, quæ contentio dici poteſt. Illa rurſus duplex, altera theorica, quæ ſola cogitationis expoſitione eſt contenta, qua vtimur, vel in quæſtione infinita tractanda, dum, quid verum, & bonum eſt patefacimus; vel in panegyricis, vbi rem aliquam amplificamus, & qualis ſit notatione oſtendimus: Altera practica, quæ aliquem agere, vel ab actione ceſſare decernit: quæ, ſi vtilitatem ſpectet, erit deliberatio, & conſilium: ſi æquitatem, erit cauſſa, ſiue iuſtitia. Atque hæ ſunt ſermocinalis, & tranquillæ orationis partes.

Affecta autem oratio, & allocutio, iuxta

tres

tres animi partes ſuperius expoſitas, ſic diuidi poteſt. In parte rationis vtente, eſt affirmatio, vel negatio; quibus vel aſſenſionem, vel diſſenſionem, vel admirationem, manifeſtamus: conſideratio, grçce logiſmos, cauſſæ nimirum cognitio, & adiudicatio, ſiue iudicium. In parte qua concupiſcimus, eſt deſiderium ratione boni abſentis: voluptas ratione boni præſentis. Deſideratur autem, vel alterius oratio, ſeu mentis explicatio, quam inquirimus per interrogationem: vel perſona, per inuocationem, & compellationem, aut exclamationem: vel res, ſi noſtra, per preces, ſi alterius, per cohortionem. Ex lętitia rei propriæ oritur exultatio, & gratiarum actio; ex alienæ, congratulatio. In iraſcibili, ex malo imminenti naſcitur dolor; ſi rei propriæ, oritur lamentatio, indignatio, querela, & imprecationes: ſi rei alienæ, commiſeratio, conſolatio obiurgatio. Ex malo futuro timor, ſi mali proprij, deprecatio, auerſio, permiſſio, minnæ: ſi alieni admonitio. Si ſit timor rei a nobis amatæ amittendæ, oritur zelus cum inuidia temperatus; ſi alienæ, ſolicitudo: ex zelo fiunt exprobrationes, ex ſolicitudine, dehortationes. Qui autem nec aliorum auctoritatem, nec minas ſe timere ait, confidentiam ac libertatem ſe habere oſtendit,

oſtendit, quam Græci παῤῥησίαν quaſi πᾶν ῥησιάν vocant. Eſt enim libera pronunciatio earum rerum, quibus offendi poſſunt ij, quos vereri, ac timere deberemus. Eſtque ſemper αὐθάδης, ideſt pertinax, ac proinde mitiganda παραμυθία, ideſt conſolatione, quæ vel laudem, vel querelam, vel communicationem habeat. Atque ex his patet quibusnam modis affectus omnes demonſtrari poſſint, & quæ ſit eorum varietas: quibus de rebus ſubtilius diſputari potuiſſet, ſed ea, & eo modo diximus, quæ ſunt ad noſtrum inſtitutum accommodata. Cic. pro Ligar.

In ſumma igitur, mores tribus potiſſimum manifeſtantur modis, vel allocutione, quæ ad mouendum auditorem aſſumitur: vel deſignatione, quæ vel dicentis, vel alienos mores commendat: notatione, qua non tam affectus ipſos nominamus, quam attributa, ex quibus mentis, ſenſuſque habitus ac propenſio conijcitur, vt, ſi quis quempiam, lenonem, adulatorem, paraſitumve appellet.

Quincta poſitio, maiores affectus duos habent quaſi fontes vnde dimanant, dolorem ſeu triſtitiam, & voluptatem: illinc ira, hinc cupiditas oritur: illa honore potiſſimum ſedatur, hæc delicijs expletur. Propterea optime monebat Plato, vt eius Libro 2. Eth.

diſcipulus refert Ariſtoteles, pueros, quos videmus potiſſime triſtitia, & voluptate ad agendum permoueri, docendos eſſe quibus rebus lętari, & quibus triſtari debeant, quod inde, vel vitia, uel virtutes proficiſcantur omnes.

Sexta poſitio hominum mores, tum boni, tum mali, ex octo præcipue capitibus notari poſſunt, ex patria, genere, ætate, ſtudijs, fortuna, relatione, facie, & actione: de quibus ſingulis nunc aliquid dicemus.

De patria, certiſſimum eſt habitum, qualitatemve regionis, cœlique in quo aliquis natus eſt, certos ingenerare mores, ob variam corporis conſtitutionem: cum corpora ob locorum varietatem varie ſint affecta, & ad certos mores propenſa: quo Porph. c. de ge. *fit, vt regio in qua aliquis natus eſt, Patria, quaſi altera parens nominetur. Quæ res etiam in ipſis herbis, frugibus, & arboribus facile perſpicitur. Vnde bonus Poeta,*

Virg. li. 1. Geor.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœtus alibi, &c.

Theoph. *Locorum etiam oportunitas, ſeu conditio, ad quædam ſtudia ſolet homines excitare; vt ad otium, ad induſtriam, & ad certa artium genera. Huc pertinet hic ampliſſimus Marc. Tullij locus. Non ingenerantur,* Cice. in orat. de leg. agr.

tur, hominibus mores, tam a ſtirpe generis, ac ſeminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipſa natura loci, & a vitæ conſuetudine ſuppeditantur: quibus alimur & viuimus. Carthaginenſes, fraudolenti & mendaces, non genere, ſed natura loci, quod, propter portus ſuos multis, & varijs mercatorum, & aduenarum ſermonibus, ad ſtudium fallendi, ſtudio quæſtus, vocabantur. Ligures montani, duri, atque agreſtes: docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quæſitum. Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. Quo fit, vt ingenia maiora, & viri illuſtriores ibi nati ſint, vbi minor rerum copia ſuppetit: ac proinde qui in bonis excelluerunt artibus, aut pauperes fuere, aut ex arido ſterilique loco oriundi ſunt.

Quod autem attinet ad ſingulorum populorum mores bonos vel malos, non eſt huius loci latius diſſerere; cum integri hac de re, qui legi poſſint ſeripti extent libri; ſed vt quod docemus planius explicetur, aliquarum nationum bonos breuiter notabo mores. Itali armis, literis, & religione illuſtres: Hiſpani parſimonia: Galli animi ma- Scali. in ſua Poetic.

 gnitudine:

gnitudine: Germani grauitate; Aſiatici dicendi copia. Similiter ſingularum prouinciarum, & ciuitatum quoſdam licet notare mores. Siculi acuti, Lacones laborioſi, Genuenſes ſplendidi, Florentini Solertes, & Veneti cauti. Et vt varijs moribus variæ gentes, populi, & homines, ſunt affecti; ita etiam vario delectantur ſermone, varie ſuas orationes exponunt, varieque mores deſignant, & de eadem re loquuntur. Quo fit, vt ſi aleator pulchram tabulam viderit, eam ad ludendum idoneam eſſe dicat, literis deditus, ad ſtudendum, abdomini inſeruiens, ad edendum

Nicola. Bies. li. 1 c. 11.

Quæ de moribus a patria ſumptis diximus, eadem de moribus a genere, intelligenda ſunt. Nomine autem generis hoc loco intelligi volo collectionem multorum, qui ab vno communi ſtipite per cognationem originem ducunt: vna enim cum vita, accedente præſertim domeſtica inſtitutione, ſæpe in poſteros a maioribus transfunduntur mores. Vnde qui ſunt vnius familiæ, eos, vel ad religionem, vel ad arma, vel ad litteras, & denique ad certa artium ſtudia, ac etiam vitia propenſos videres: vt Sceuolas, & Vbaldos ad legum ſcientiam. Vt enim quiſque ſe, & ſua diligit, ita facile ſuos

Porph. c. de gener.

maiores imitatur: & parentes facile ex ſe genitos filios ad ſuas artes, & mores ſequendos conuertunt.

Quod attinet ad ætatum mores, de quibus in ſecundo de Inuent. lib. ſcripſimus, nihil ſpeciatim hoc loco dicemus, cum ſint omnibus fere noti. Nam, vt quiſque facile animaduerteret, alij ſunt puerorum, alij virorum, alij ſenum mores, quos eleganter in ſua poetica paucis verbis complexus eſt Flaccus.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo Hor. de ar. poet.
Signat humum geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, &c.

Huc pertinet morum diuerſitas, quæ in maribus & fœminis cernitur.

De ſtudijs, quibus homines delectantur, hæc etiam certos mores ſecum afferunt, ac varie eos, qui in illis verſantur afficiunt. Miles glorioſus, Iuriſconſultus rixator, Grammaticus iracundus, Pictor taciturnus, Mercator mendax, Muſicus amator, Agricola ſuperſtitioſus, Nauta temerarius, Meretrix garula, & denique Philoſophus liber. Et horum quiſque de ſua arte libenter loquitur, & de ea loquentes audit, atque ex ea exempla, tropoſque ſumit: Vnde Propertius. Ariſt. 2. Eth.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,

Enumerat miles vulnera, paſtor oues:

Quare, ſi qui dicit vult agricolis placere, ex agro exempla & metaphoras ſumat; ſi medico, ex medicina; ſi venatori ex venatione: ſi denique iuris conſultis, leges & canones citet.

De fortuna, quam ſui ſequuntur mores, nihil eſt cur multa dicam, Felices, ſunt lęti, humani, & benigni: contra vero infelices: Diuites, ſoliciti, & ſeueri: pauperes inuidi, & detractores: nobiles ambitioſi, laudiſque cap.29. *appetentes: de qua re plura in ſecundo de Inuentione libro ſcripſimus. Magiſtratus, vt eſt in prouerbio, virum oſtendit.*

Nunc de relatione, ſiue affectione, quæ oritur ex collatione vnius perſonæ ad aliam, vt ſunt, ſeruus & dominus, maritus & vxor magiſter & diſcipulus, pater & filius, pauca dicamus. Ex hac itaque relatione, morum fiunt deſignationes, & perſonæ notantur, non minus, quam ex genere & educatione: cum ex hac affectione, alij in alijs ſuccreſcant mores. Vnde parentes magis amant filios, quam filij parentes: potius cenſetur ſeruus doloſus, quam dominus: magis mulier maritum, quam extraneum verebitur: in con

iugatis

iugatis notatur zelotipia, in Principibus beneficentia, in ſubditis obſequium, & ſic de alijs. Ex hoc loco quidã vir Catholicus ſapiẽter et apposite cuidã reſpondit hęretico ſe glorianti quod ipſi maiore cura ſuam doctrinã defendant, quã nos veritatem a noſtris maioribus traditam, dicẽdo, id mirum minime videri debere, quod ipſi tanquam patres ſuam doctrinam ex ſe genitam magis diligant, quam nos, qui tanquam Apoſtolorum et maiorum filij, ac ſucceſſores ab eis doctrinam per traditionem accepimus.

De facie, huc refertur corporis habitus, ex quo alij iracundi, alij mites, alij lęti, alij triſtes, alij taciturni, alij loquaces cenſentur. Huc etiam pertinent morum indicia phyſionomica, a capite, a capillis, a fronte, a ſuperciliis, ab oculis, a collo alijſque partibus ſumpta, de quibus integri ſcribuntur libri. Hiere. Reg. li. 5. commẽ. Docto. Louan. in Prio. Ariſto. Ioan. Paduan. li. de part. hu. cor.

Denique, actus, motuſve corporis quoque quoſdam indicant mores, vt inceſſus, ſermo, conſuetudo, et deniq; acta & quæ degitur uita.

In ſumma igitur, mores manifeſtantur, notatione, deſignatione, & allocutione. Deſignationis partes ſunt duæ, pathos, ſiue motus, quibus perturbatus manifeſtatur animus, & adiudicatio, qua animi ſententia, vel cum dubitatione, quæ ἐνδοιασμός, vel cum certitudine, quæ adiudicatio dicitur, aperitur.

ritur. Huius, alia eſt facti cauſſa, logiſmus, ideſt conſideratio: alia facti comprobatio, vt, ita dicunt, ita res habet. Interdum confirmatio & approbatio vniuntur, vt ſi dicas, Ita dicunt, & ego credo. Atque hi tres modi manifeſtandi mores a quibuſdam vnico verbo, notatio, nominantur. Partim ergo mores notatione, ſeu qualitate perſonæ diſcuntur: partim ex deſignatione, ſententiaque mentis, partim ex orationis elatione, actioneque, corporiſve motu manifeſtantur.

Sexta poſitio, ſiue mores notentur in perſona communi, ſiue in priuata, vt ſi deſcribatur Achilles, Clodius, Catilina, debent ita notari, vt probabile eſt in eo, quem deſcribimus reperiri: ſiue mores a patria, ſiue a genere, ſiue ab alio ſumantur capite. Habebit etiam quodcunque caput ſuos mores, vt ſtudium, fortuna, patria, & cætera. Interdum vero notatio, cum corporis habitu, & motu, quo mores ſignificantur, vt furere, geſtire, & clamare, vniuntur, ex quibus duabus partibus characteriſmi fiunt.

Septima poſitio, in moribus exprimendis, primũ pręcedet perſonæ notatio: quã ſequitur deſignatio motus, tam interni, quã externi, poſtremo loco accedit allocutio, per quã varij deſi gnantur

gnantur affectus, vt in libris de elocutione, cum de ſententiarum figuris agam, planius demonſtrabo. Cum itaque volumus alicuius perſonæ mores omni ex parte exprimere, eam prius notabimus, poſtea deſignabimus, poſt deſignationem motus aliquis accedet exterior, cui ſuccedet allocutio, vt hoc in loco artificioſiſſimus fecit Poeta. Vir.li.3. Aen.

Subito e Syluis macie confecta ſuprema
Ignoti noua forma viri, &c.

Quibus verbis, perſonam eleganter notauit: Poſtea eandem his alijs carminibus deſignat.

Iſque vbi Dardanios habitus, & Troija vidit
Arma procul, paulum aſpectu conterritus hęſit,
Continuitque gradum: mox ſeſe, ad littora præceps
Cum fletu precibuſque tulit.

Hic habes, & interni, et externi motus deſignationem: interni, quia conterritus hæſit; externi quia continuit gradum, &c. Poſtea ſequitur allocutio,

Per ſuperos, atque hoc cœli ſpirabile lumen,
Tollite me Teucri, &c.

Atque hæc de morata oratione in præſentia

dixiſſe

dixiſſe volui; plura huc pertinentia, cum integrum de Oratoris officijs librum ſcribam, dicturus.

An peroratio ſit orationis pars, deque eius natura. Diſputatio XXIX.

VT rem apud omnes dicendi artifices manifeſtam in dubium reuocem, nonnulla proponam argumenta, quibus, vel perorationem non eſſe partem, vel ſi eſt, non eſſe in præcipuis & maioribus ponendam ſuaderi poteſt.

Primum, Ariſtoteles a partium numero eã excluſit: in multis orationibus non reperitur: & ſi reperitur, vel eſt omnino breuis, vel certe a contentione non diſtinguitur, quo fit vt multi in aſſignanda hac parte, in bonorum auctorum ſcriptis, errent; igitur.

Deinde, videtur eſſe eadem pars cum exordio: nam, illæ ſunt eædem partes, in quibus eadem præſtantur munera: atqui, tam in peroratione, quam in exordio conciliamus nobis auditores, mouemus affectus, & cauſſam noſtram docendi gratia ſub aſpectum ponimus,
Libr. 3. *vt ex ijs quæ de epilogo ſcripſit Ariſtoteles facile cognoſcere licet; igitur.*

Præte-

Præterea, epilogus adhibetur in omnibus partibus orationis, poſt omnem fere probationem, & expoſitionem: non erit igitur pars diſtincta, aut certe in maioribus reponenda: vt omittam, quod ſi interdum adhiberetur eſſet vitium maximum; vt ſi auditor eſſet iam perſuaſus, & omnino permotus: tunc enim ſi epilogo vteremur, facile excitatæ in animis auditorum flammæ extinguerentur. Ideo M. Antonius in ea, quam habuit contra Cæſaris interfectores oratione, quam apud Dionem videre licet, cum auditorum animos omnino permotos vidiſſet, ſine vllo epilogo orationis filum abrupit. Dion.

Poſtremo, vt alias omittam, quæ mihi occurrunt dubitandi rationes, peroratio nihil de nouo continet, ſolum dicta repetit: non erit igitur noua orationis pars, ſed veluti appendix quædam extrinſecus adiecta, aut certæ effectus quidam ex tota oratione collectus. Quod argumentum confirmares a nominis notatione: epilogus enim idem deſignat, quod adiecta, ſeu appoſita oratio.

In hac parte explicanda duas diſputationes conſumemus: quarum in altera de natura, & partibus; in altera de qualitate, quantitate, eiuſque locis ſcribemus: de qua legendus eſt Ariſtoteles libro tertio rhetorices in

fine,

fine, Tullius libro primo de Inuent. in fine, Auctor ad Heren. libro primo in fine. Quinct. libro ſexto, capite primo, Trapezuntius in fine libri tertij, & alij alias citati Rhetores.

Quod autem attinet ad opiniones, Ariſtoteles exiſtimauit non eſſe partem neceſſariam orationis: qui, qua ratione intelligendus ſit, ſatis patet ex ijs, quæ ſupra non ſemel diximus. At vero ex communi Rhetorum ſententia in partibus, & quidem in maioribus reponenda eſt. Quod attinet ad eius diuiſionem, Fabius & quidam alij qui eum ſequuntur, in duas diſtribuunt partes, in enumerationem, & in affectuum motionem: illa memoriam iudicis reficit; hæc vero affectum commouet. M. Tullius & quidam alij in tres, in enumerationem, indignationem, & conqueſtionem; quæ his alijs nominibus vocari ſolent, epilogus, amplificatio, & commiſeratio. Addunt aliqui, tranſitionẽ, quæ breuiter oſtendit, quid dictum eſt, & quid conſequatur proponit. At vero Ariſtoteli in quattuor partes diuidere placuit; dum ſcripſit, epilogum conſtare ex ijs, quæ faciunt, vt auditor de nobis bene, de aduerſarijs male ſentiat: ex ijs, quæ amplificant, aut extenuant: ex ijs, quibus in affectus auditor impellitur: ex ijs quibus in memoriam dicta reducuntur. Quid autem

An.Lul. libro 3. c.34.

Laur. Palm.

autem de his omnibus ſentiendum ſit, duobus propoſitis fundamentis, quibuſdam poſitionibus poſtea plene explicabimus.

Primum fundamentum, in quo de huius partis nominibus agam. Vocatur ergo hæc a Græcis, quorum voces paſſim vſurpant Latini, epilogus, & anacephaleoſis. Dicitur anacephaleoſis, Latine, ſi ita loqui licet, quo tamen modo viri diſerti loquuntur, recapitulatio. Nam cephale, apud Græcos, caput & cuiuſque rei ſummam ſignificat: & κεφαλαίω, idem valet, quod in capita, & in ſummas colligo: additur particula, ana, quod rurſus, & retro ſignificat. Ex quibus colligeres, anacephaleoſim ſignificare eam orationis partem, quæ ante dicta per capita rurſus repetit. Dicitur epilogus, ab epi, quod ad, & logos, quod orationem deſignat, quaſi appoſita, & appendens, & noua oratio; totius nimirum orationis breuis repetitio, grauis concluſio, & extrema orationis pars: quæ etiam deuterologia, quaſi ſecunda dictio a Græcis nominatur. Vtrunque tamen nomen varie vſurpatur. Nam epilogus præter allatam ſignificationem, interdum ſignificat breuem alicuius longioris, & copioſioris argumentationis, ſiue expoſitionis complexionem, quæ etiam reaſſumptio dicitur. Præterea apud Rhetores, epilogus, dicitur ratio Ariſt. li. 2. Rhet.

alicuius

alicuius ſententiæ, quæ epilogica nominatur, id eſt quæ, vel præcurrentem, vel ſubſequentem rationem habet; vt in his patet exemplis.

Si Deus eſt animus, vt nobis carmina dicunt,
Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.

Item,

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto:
Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

Quæ ſententiæ tunc laudem merentur, cùm ad motum diriguntur, & rei qualitatem demonſtrant. Similiter, deuterologia, non vno accipitur modo: aliquando enim ſignificat ſecundam actionem, cum ſcilicet vna & eadem cauſſa, iterum agitur. Nanque olim, vt ex oratione pro M. Cœlio, & ex Verrinis intelligi licet, vna & eadem cauſſa a pluribus tractari ſolebat. Aliquando deuterologia ſignificat ſecundam tractationem alicuius rei, cum res pluribus argumentis & verbis comprobatur, & poſtea quæ fuſius dicta ſunt, in pauca conferuntur: quo fit vt epilogi ſint deuterologij. Nec deſunt qui dicant hanc vocem ſumptam eſſe ab Arithmeticis, qui ſuarum rationum

Io. Mar.

tionũ ſumã, epilogiſmon vocãt. Inſumma, quidquid poſt argumentationem expoliendi, exagerandi, & renouandæ memoriæ cauſſa apponitur, epilogus dici poteſt. Hermogenes hanc partem communem qualitatem appellauit, quod per communes qualitates, & accidentia, qualis ſit res argumentando demonſtret. At vero Latini, perorationem, enumerationem, concluſionem, & cumulum vocarunt. Dicitur peroratio, quia perorare, eſt perfecte, & ad finem vſque dicere, & cum hæc pars vltimum obtineat locum, & finem orationi imponat, ideo conuenienter hanc habet appellationem. Atque de nomine hactenus.

Secundum fundamentum, in quo quid ſit aperietur. Concluſio eſt exitus & determinatio totius orationis. Vel, eſt artificioſus terminus orationis: Terminus inquam, quoniam orationem finit: artificioſus vero, quod maximi ſit ingenij & artificij quæ late dicta ſunt, paucis complecti, & ijs ſedatos hominum animos permouere. Addunt aliqui, Auditoris memoriam reficiens, & animum eius commouens. Vel, concluſio eſt orationis pars, in qua per enumerationem & affectum, principalis repetitur propoſitio. Quam partem in duas diuideres, in enumerationem, & amplificationem, ſeu affectum: qui indignationem & conqueſtio-

Cic. li. j. de Inu.

Pe. Gũt.

queſtionem, ſeu commiſerationem continet.
Cic.li.1. de Inu. *Enumeratio, eſt per quam res diſperſæ & diffuſe dictę vnum in locum coguntur, et reminiſcendi cauſſa vnum ſub aſpectum ponuntur. Vel propoſitionis principalis, & potiſſimorum argumentorum breuis collectio. Amplificatio, eſt facti, vel rei exageratio, per quam auditorum commouetur affectus: quod indignatione & commiſeratione fit. Indignatio eſt oratio per quam conficitur, vt in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio concitetur. Conqueſtio, ſiue miſeratio eſt oratio auditorum miſericordiam captans: Qui autem ſint indignationis & conqueſtionis loci,* Quinct. *poſtea docebimus. Sunt autem perorationes in duplici differentia: aliæ ſunt ſimplices, cum vna ſimplex vnius rei probatæ ſit concluſio: aliæ coniunctæ, cum plures, ob rerum varietatem, quæ explicatæ fuerunt, plures ſubijciuntur epilogi, qui partiales vocantur, vt aliquando Tullius fecit. Alij concluſionem ex quattuor partibus, hoc modo, confici arbitrantur.* Pro Deiot. *Tranſitione, cum a confirmatione, ad concluſionem tranſimus. Vt, ne igitur auditores vos longa detineam oratione, &cæt. Enumeratione, quæ & epilogus vocatur, cum ſumma capita, quaſi faſce colligata, auditori pro-* Pro Ligar. *ponuntur; quæ ornatur breuitate, varietate, diluci-*

diluciditate, atque grauitate, quam ſecum hę figuræ afferunt, repetitio, ſubiectio, exuſcitatio, & apoſtrophe; tum verba grauia, moratæque ſententiæ: conceſſione ſeu ſuffragio, quo totam cauſſam iudici, vel aduerſario committimus; vt in Verrinis non ſemel fecit Cicero: ac deniq; amplificatione, qua affectus quattuor præcipue rebus commouentur; quantitate, euentu, proſopopœia, & communi loco. Rei quantitas, incremento, comparatione, & congerie demonſtratur. Incrementum fit, vel cum quaſi per gradus aſcendimus, vel cum multas cauſſas eiuſdem rei recenſemus, ita vt grauiores leuioribus ſuccedant: Vt fecit Aeneas, cum ſui diſceſſus ex Aphrica cauſſas plures coaceruauit. Pro Cęcin. Aen. libro 4.

Sed nũc Italiam magnã Grynæus Apollo,
Italiam licyæ iuſſere capeſſere ſortes.
Me patris Anchiſæ, quoties humentibus vmbris,
Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt,
Admonet in ſomnis, & turbida terret imago:
Me puer Aſcanius, capitiſque iniuria cari,
Nunc etiam interpres Diuum Ioue miſſus ab alto.

Aa Compa-

Comparatione, cum minora augentur, vt extollantur maiora, Ratiocinatione, cum ex antecedentibus conſequentia, vel ex conſequentibus antecedentia, vel ex aliqua alia re relata, rei magnitudinem exhibemus. Vt, quanta nos caritate inimicos complecti debemus, cum Dei filius pro ſuis inimicis mortem atrociſſimam perpeti voluerit? Congerie, cum rem multorum verborum eandem vim habentium copia augemus. Euentu, cum quæ ex ſe ſunt futura connumeramus, Proſopopœia cum rei augendæ cauſſa perſonam abſentem, vel mortuam loquentem facimus. Loco communi, qui conſtat ſimilibus & diſſimilibus exemplis, vt fecit latinus Poeta, cum vitam ruſticam aliјs prætulit, & Cicero in Roſciana. Omnes illas concluſionis partes facile in Miloniana obſeruaſſes: de quibus aliquanto latius ſcribit Lullus. His notatis, quæ reſtant dicenda in ipſis poſitionibus aperiemus.

Libro 2. Geor. in fine.

Diſpu. 2

Prima poſitio, concluſio, ſeu peroratio eſt vna ex primis, & maioribus partibus orationis.

Ariſt. li. 2. Phyſ.

Primum hæc concluſio probatur a ſimili, vt ſupra ſcripſimus in cunctis rebus, quibus in omnibus, & initium, & medium, & terminum inuenire licet: & cum ars imitetur naturam,

turam, in ijs etiam quæ arte fiunt, hæc tria inueniri debent. Cum ergo peroratio, ſit veluti orationis terminus, in eius partibus reponenda erit. Deinde, quoniam pauca ſunt in natura, quæ ſubito, ſine aliquo veſtigio, vlliſque reliquijs ceſſent: extinguitur ignis in nube, & relinquit tonitruum: quæ in mare maiora influunt flumina, ſuum curſum in marinis fluctibus retinent: maiores ſoni tinnitum in auribus relinquunt: & denique bulla ipſa, qua nihil eſt tenuuius, diffuſam aquam circinat. Quanto igitur magis longa, & ornata dictio, aliquid poſt ſe in animum auditoris, per breuem dictorum epilogum relinquere debebit? Quam porro indecens eſſet, ſi eos, quos longa oratione detinuiſti, quaſi elinguis eſſes effectus, aut aliquo caſu, aut repentino morbo memoria, & voce priuatus ſine vlla repetitione deſereres, ac ſtatim obmuteſceres? Quare, ſi ſpectemus orationem, vt ad auditorem refertur, aliquem profecto requirere videtur epilogum: immo etiam aliquo pacto ex natura ſua, vt patet ex dictis. Et cum Deus optimus maximus vnico verbo hanc rerum vniuerſitatem vnico temporis articulo condidiſſet, & ſex dierum ſpatio mirifice omnia diſpoſuiſſet atque exornaſſet, tandem omnium rerum confecit epilogum, cum

poſtremo loco paruum quendam mundum, hominem nimirum in quem omnes omnium creaturarum perfectiones contulit. Sed de hac poſitione apud omnes dicendi artifices manifeſta, hactenus.

Secunda poſitio, duo ſunt perorationis munera, renouare memoriam, quod enumerando, & animos permouere, quod amplificando fit: addidit Ariſtoteles tertium, efficere vt auditores de nobis bene, & de aduerſario male ſentiat. Ex quibus muneribus, vt Nipho placet, primum eſt præcipuum.

Tertia poſitio, peroratio, commode in duas primum diſtribuitur partes, in enumerationem, & amplificationem, ſeu affectum: quæ in duas ſubdiuiditur, in indignationem, & commiſerationem: quod ſi cum Ariſtotele addas eam, qua nobis auditores conciliamus, erunt quattuor, quarum prima & poſtrema ſunt communes, ſecunda accuſatori propria, tertia defenſori; quamuis & ille interdum commiſeratione, & hic indignatione vtatur.

Quarta poſitio, hæ partes hoc ordine ab Ariſtotele collocantur. Primum adhibenda eſt auditorum conciliatio: ita fecit Tullius in Miloniana, dum Clodium vituperauit, & mirifice Milonem laudauit. Deinde ponitur amplificatio, & diminutio, quam ipſe partem

diſtinctam

diſtinctam facit. Poſtea mouendi ſunt affectus, veluti miſericordia, ira indignatio, odium, & alij. Poſtremo renouanda eſt memoria. At vero alij priore loco memoriam per anacephaleoſim renouant, poſtea amplificando, vel beneuolentiam conciliant, vel affectus commouent. Verum harum partium diſpoſitio, iudicio relinquatur Oratoris.

Quincta poſitio, in duobus potiſſimum cauſſarum generibus peroratione vtimur, in iudiciali, & deliberatiuo, & magis in illo, quam in hoc: in genere vero demonſtratiuo, tunc peroratione vti poterimus, cum oratio fuerit longior: tunc enim breuis adhibenda erit rerum demonſtratarum enumeratio. Quod ſi oratio fuerit per breuis, aut nullus adijcietur epilogus, aut breuiſſimus. Quod ſi omnino auditorum animos viderimus eſſe commotos, nulla profecto erit peroratione opus. Quinct.

Sexta poſitio, epilogus triplex eſt, vnus particularis cuiuſcũq; partis, excepta partitione: alter cuiuſcunq; argumentationis, ſiue capitis, quod tractatũ fuerit, vt in cõiũctis accidit cauſſis: tertius communis totius orationis, cuius naturam ac vim nos hic explicandam ſuſcepimus: his enim potiſſimum in locis epilogo vti ſolemus. At vero auctor ad Herennium

quattuor in locis nos concluſionibus vti poſſe docuit, in principio, ſecundum narrationem, ſecundum firmiſſimam argumentationem, in concluſione. Hos epilogos, quidam partiales vocant: at vero Fabius potius ſpecies appellandos eſſe exiſtimauit. Sed minorib. periodis omiſſis, de quibus nihil eſt hoc loco ſcribendum; nos de communi agemus, de quo quæ reſtant dicenda, ea ſequenti diſputatione proſequemur, ſi prius argumenta contra veritatem allatam diluerimus.

Quot attinet ad primum, ex allatis poſitionibus & fundamentis quid dicendum ſit, eſt omnino perſpicuum.

De ſecundo, non omnino eadem, & eodem modo adhibentur munera in peroratione, quæ in exordio, vt conſtat ex dictis.

De tertio, eſt longe diuerſus epilogus ille breuis, qui alijs in locis ponitur, a communi totius orationis concluſione; vt eſt per ſe ſatis manifeſtum: & quod interdum adhiberi non debeat, & ſi adhibetur breuis eſſe debeat, facile concedimus; nec proinde a numero partium erit reijciendus, vt de alijs non ſemel diximus partibus.

De poſtremo, peroratio, ſæpiſſime et res nouas cõtinet, et q̃ dicta ſunt multo aliter tractat quo fit; vt ꝑ parte ab alijs ſeiũcta haberi d̃beat.

Qua-

Qualis & quanta debeat eſſe peroratio, deque indignationis, & conqueſtionis locis. Diſputatio XXX.

QVæ in hac diſputatione dubitandi cauſſa, afferri poſſent rationes, eo ſpectarent, an auditorum animos dicendo mouere, & affectus in eis excitare liceat: qua de re non paruam eſſe controuerſiam non me fugit: Sed ne cum de epilogo ſcribimus, nimis in longum noſtra protrahatur diſputatio, & vt aliquando huic operi finem imponamus, tactam difficultatem alio libro, fauente Deo, accurate enucleabimus, cum de tribus Oratoris officij, de docendo, delectando, & mouendo integrum conficiemus opus. In præſentia itaque omni remota altercatione, de epilogi partibus ſupra recenſitis breuiter præcepta trademus: & primum quidem de commendatione: deinde de enumeratione, poſtea de affectu: de quibus omnibus quæ dicenda ſunt, quibuſdam poſitionibus comprehendam.

Prima poſitio, commendatio, ſeu beneuolentiæ innouatio in epilogo, eſt valde vtilis & neceſſaria. Præceptum eſt Ariſtotelæum, quod boni in ſuis orationibus obſeruarunt Ora

tores : vt Tullius pro C. Rab. Poſthumo, cum dixit, Vos obſecro, Iudices, vt huic optimo viro, quo nemo vnquam melior fuit: & in Archiana, a pudore, dignitate, & ingenio Archiam commendat: & in Miloniano epilogo mira quadam ratione ſuum commendat Milonem. Et vt eum quem defendimus, cauſſamque noſtram commendare, ita aduerſarium, & eius cauſſam in inuidiam adducere debemus. Solet etiam Orator ſuam commendare perſonam, dum ſuo munere ſe ſatis quantum in ſe fuit feciſſe ait, vel in re ſuſcepta, vel erga eum quem defendit, vt in epilogo Miloniano, & Maniliano fecit Tullius. Interdum etiam ſe excuſat, vt patet in Archiano.

Secunda poſitio commendatio, & beneuolentiæ renouatio ſumitur ex ijs locis, de quibus ſupra in exordij explicatione diximus: & ſpeciatim ſi beneficia in rempub. & in auditores numerentur; vt in Miloniana obſeruares peroratione: ſi virtutes, vitæ integritas, moreſque attingantur. Valet, inquit Antonius multum ad vincendam probari mores, inſtituta, & facta, & vitam eorum qui agent cauſſas, & eorum pro quibus: & item improbari aduerſariorum, animoſque eorum apud quos agitur, conciliari quam

maxime

maxime ad beneuolentiam, cum erga Oratorem, tum erga illum, pro quo dicet Orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione vitæ: quæ facilius ornari poſſunt, ſi modo ſunt, quam fingi, ſi nulla ſunt. Sed hæc adiuuat in Oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas.

Eſt igitur, ait Fabius, vtriſque commune, (de exordio, & epilogo loquitur) conciliare ſibi, auertere ab aduerſario iudicem, concitare affectus, & componere. Et breuiſſimum quidem hoc præceptum dari vtrique parti poteſt, vt totas cauſſæ ſuæ vires Orator ante oculos ponat; & cum viderit quid inuidioſum, fauorabile, inuiſum, miſerabile, aut ſit in rebus, aut videri poſſit; ea dicat, quæ quibus ſi iudex eſſet ipſe maxime moueretur. Atque hæc de commendatione, quæ ad beneuolentiam pertinet: nunc de enumeratione, quæ ad attentionem refertur. Li.6.c.1.

Tertia poſitio, enumeratio tres debet habere virtutes, vt ſit breuis, & varia, & grauis, quod intellige de ea in qua multa ex longa confirmatione repetenda ſunt.

Eſt neceſſaria breuitas, ne epilogus alia videatur oratio: erimus autem numerando breues, ſi ſolum quæ in confirmatione dicta

ſunt

ſunt repetemus: neque enim quæ in exordio, narratione, & propoſitione expoſita, aut propoſita fuere repetere oportet; ſi paucis verbis cuiuſque argumentationis vim, aut etiam locos ſub aſpectum ſubijciemus. Colligendum eſt itaque breuiter per capita, non vt oratio, ſed vt memoria renouetur.

Cic. li. 1. de Inu.

Quod autem ad varietatem attinet, quoſdam indicabo modos, quibus enumeratio variari poteſt. Primo, ſi Orator dicat ſe id præſtitiſſe, quod pollicitus fuerat, & poſtea ſingillatim repetet: vt Cicero pro P. Quintio, vbi prius breuiter tres confirmationis partes repetit, & poſtea ad amplificationem, ſeu motum tranſit. Deinde per contentionem, repetendo quæ a ſe, & ab aduerſario dicta fuere, ita vt ſua, & aduerſarij argumenta conferat. Ita Cicero in epilogo Roſcianæ, vbi elegantiſſime aduerſariorum ſcelera per contentionem repetit. Prædia mea tu poſſides &c.

Et pro lege Agraria contra Rullum. Huc pertinet illa admonitio, quod ſi quæ in confirmatione, & confutatione ſeorſim dicta, ſunt repetenda ſint, præſtabit, ſi ea coniunctim repetentur: quod ſi recte, apteque fiet magnam vim ad animos commouendos noſtra habebit oratio. Si vero ſeorſim vtriuſque partis

Trap. libro 3.

tis

tis capita repetantur, ab alterutro aggredi poterimus; & vno expleto, ad alterum, cum varietate exponendum, progrediemur. Deinde per ironiam, vt ſi quis ea quæ ipſe probauit ironice ab aduerſario fuiſſe probata dicat, quæ vero aduerſarius, a ſe dicta fuiſſe fingat: ita Cicero in vltima de lege Agraria, cum ait nihil eſſe metuendum, & cætera: Deinde poteſt fieri enumeratio per interrogationem, hoc modo, quid eſt, quod a me demonſtratum non fuerit? quid autem iſte confirmauit? & cætera. Exemplum habes in oratione pro Roſcio. Deinde per interrogationem aduerſariorum, & per conſultationem, & allocutionem ad iudices, vel quaſi nobiſcum diſſerendo. Deinde per ſimplicem enumerationem, ordine quodam naturali, cum ſit repetitio ſine contentione, & collatione: vt fecit Tullius in Maniliana, in fine confirmationis. Quare cum, & bellum ita neceſſarium ſit, vt negligi non poſſit: ita magnum, &c. Denique variari poterit tribuendo actionem alicui perſonæ, vel rei per proſopœiam: qua de re ea legere poteris, quæ ſcribit Tullius.

Ariſt.

Lib. 1. de Inu.

Erit enumeratio, ſeu dictorum repetitio grauis, ſi cum quodam verborum, & ſententiarum pondere, non ſicce, & ieiune fiet: alioquin,

quin, ait Fabius. nihil eſt odioſius recta illa repetitione, veluti memoriæ iudicum diffidentis. Erit ergo grauis, ſi allocutiones, verba grauia, & morales ſententias continebit. Debet itaque enumeratio eſſe breuis, varia, grauis, & quod alij addunt, dilucida. Cauebit, & quidem diligenter prudens Orator, ne in repetendo vlla appareat memoriæ oſtentatio. Quod vitium fugiet, qui non minima quæque repetet, ſed breui ſingula attingens, ipſa rerum pondera comprehendet. Cæterum in cauſſa breui, & ſimplici, nulla erit enumeratione opus.

Cice. In part.

Quarta poſitio, enumeratio laudatori nonnunquam, ſuaſori ſæpe, accuſatori ſæpius quam reo eſt neceſſaria. Cuius tempora duo ſunt; ſi aut memoriæ diffidas eorum apud quos agas, vel interuallo temporis, vel longitudine orationis; vel ſi frequentatis ac conglobatis firmamentis vim ſit habitura cauſſa maiorem. Atque hactenus de anacephaleoſi: nunc de amplificatione: & motu dicemus.

Cice. In part.

Quincta poſitio, in peroratione magis, quam vllo alio in loco faciendus eſt per amplificationem motus. Communis eſt omnium Rhetorum præceptio, quam bonorum Oratorum comprobat vſus: quæ intelligenda eſt, cum cauſſa id requirit, & pro cauſſarum genere

Cice. In part.

nere ſuo modo. Quare magis, qui conſilium dat, quam qui laudat, & magis qui in indicio agit, quam qui in Senatu animos monere amplificando conabitur. Hic itaque totos eloquentiæ fontes aperire licebit: hic efficiendum eſt Oratori, vt non modo volentes, quoquo vult incitet, ſed vt lanquentes impellat, & repugnantes vi orationis trahat.

Sexta poſitio, motus animorum tribus maxime rebus, fieri, & excitari poterit: genere rerum quæ ad mouendum adhiberi ſolent: genere & forma dicendi: & agendi modo. Ex his tribus propoſitis membris duo hic explicabimus primum, & tertium, de ſecundo dicemus poſtea. Nicol. Bieſ.li.1. c.11.

Quod attinet ad primum, res ad duo capita reuocare licet: aliæ enim ab ipſo cauſſæ genere ſumuntur, idcirco videndum erit quid in re ſit magnum, graue, vtile, pernicioſum, neceſſarium, moleſtum, lętabile, crudele, atrox, iuſtum, iniuſtum, impium, & denique ea omnia, quæ ſupra ad amplificandum conferre docuimus: quæ circunſtantiarum tractatione, & conglobatione augenda erunt. Aliæ extrinſecus petuntur, vt ſi veſtes ſanguine aſperſas, corpus cicatricibus ſignatum, ipſos quos defendis iacentes, męſtos, & ſordidatos, vt in Tullianis orationibus obſerua- Pro. Deio. Roſc.

re

re licet oſtenderes: qua de re, quæ Fabius ad notauit, ea legere poteris.

Li.6.c.1. *De actione, quæ ipſum reſpicit dicentem, neminem mouere poterit, qui ſeipſum non mouet; qui motus partim ſpectatur in animo, qui lacrymis, voce, vultuque indicari ſolet; partim in corporis geſtu, dicendique contentione. Quod attinet ad animi dicentis commotionem, omnes, vna voce, in illa*

In Poet. *Horatiana ſententia conſentiunt.*

Lib. 2. de Orat.

Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia
lędent.

Lege Tul. in 2. Orat. *Neque, inquit Antonius, fieri poteſt, vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes ij motus, quos Orator adhibere volet iudici in ipſo Oratore impreſſi eſſe, atque iniuſti videbuntur: & quæ ſequuntur. Conſule locum ampliſſimum, vbi de ficto dolore ſimulatiſque lacrymis non nihil dicitur. Omnes itaque animi motus, quos Orator adhibere voluerit, auditoribus, in ſe impreſſos atque iniuſtos habeat. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ ni admoueatur ignis, ignem concipere queat: ſic nulla mens eſt tam ad vim, caloremque orationis excipiendum*

piendum parata, quæ poſſit incendi, niſi is qui dicit ipſe inflammatus, ardenſque ad eam acceſſerit. Commouebitur autem facile Orator, ſi rei de qua agit conditionem animo conceperit, atque ita aget, ac ſi rem cauſſamque ſuam tractaret. Huiuſmodi animi commotiones facile in Tullianis obſeruares epilogis, vt in Rabiriano, cum ait, Sed iam quoniam, vt ſpero, fidem, quam potui, tibi præſtiti Poſthume, reddam etiam lacrymis, quas debeo, & paullo poſt, indicat tot hominum fletus, quam ſis carus tuis, &c. Et pro Milone, Sed finis ſit; neque enim præ lacrymis iam loqui poſſum, & hic lacrymis ſe defendi vetat.

Quo loco illud admonuerim, quod prudenter adnotauit Fabius, ne quis, niſi ſummis ingenij viribus ad mouendas lacrymas aggredi audeat. Nam, vt eſt longe vehementiſſimus hic cum inualuit affectus, ita ſi nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquiſſet. Nam & vultus, & vox, & ipſa illa excitati rei facies ludibrio ſunt plerunque hominibus, quos non permouerunt. Quare metiatur, ac diligenter æſtimet vires ſuas actor, & quantum onus ſubiturus ſit intelligat. Nibil habet iſta res medium, ſed aut

lacrymas meretur, aut riſum. Quæ doctrina animaduertenda eſſet a concionatoribus, qui cum in ſingulis fere concionibus conentur motum facere, & ad lacrymas excitare, vel quia materiam ad id efficiendum non tractent idoneam, vel quia ipſi non ſunt ad id ad modum accommodati, in vanum deſudant, & auditores ſine vlla commotione diutius detinent, & fatigant. Hinc eſt, quod aliqui, etiam ſi de atrociſſima Chriſti mortem agant, quæ etiam leuiter cogitata poteſt lacrymas excutere, cum ſe videant ad motus adhibendos minus idoneos, ſolum rem ipſam docendo demonſtrare contendunt.

Quare potius auditorem animo commoto, quam ſedato, & madentibus oculis, quam ſiccis, relinquat orator. In paruis autem cauſſis tragœdias excitare, nihil eſt neceſſe.

Quod attinet ad actionis genus, debet eſſe non remiſſum, ſed contentioſum, non tamen ſine modo: non frigidum, ſed feruens: & denique tale, vt internum dicentis non obſcure indicet motum. Nihil enim poteſt eſſe Cic. li. 2 orat. *moleſtius, quam eum qui velit flammas excitare leniter, & remiſſe anguſtis buccis compreſſiſque labijs in ignem ſufflantem cernere. Huc faciunt, quę Antonij de animorum*

rum

rum commotione loquens, dixit, quam conſequi niſi multa, & varia & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis nemo poteſt. Quare, qui aut breuiter, aut ſummiſſe dicunt, docere iudicem poſſunt, commouere autem non poſſunt, in quo ſunt omnia.

Septima poſitio, oratio illa, qua vehementiori dicendi genere excitatur motus, ſeu motus ipſe debet eſſe breuis.

Præceptum eſt Tullij, Fabij & aliorum, quod ipſa confirmat experientia: Huc pertinet dictatum illud, lacryma nihil citius areſcit. Nanque extrinſecus excitati in animis motus, facile ceſſant, & animus in ſuum ſtatum reuertitur, & audiendi ſatietate defatigatus, cum moleſtia audit, cum non amplius ſe affici audiendo ſentiat.

Octaua poſitio, motus indignatione, & conqueſtione conſtat; hoc eſt, mouendo, vel ad indignationem, & iram, ſeuitiamque, vel ad miſericordiam, clementiã, placcabilitatemq; excitare auditorem conamur: ad quos motus faciendos, quoſdam dicendi artifices excogitarunt locos, quorum ſimplici enumeratione nos contenti erimus: maiorem explicationem qui voluerit, citatos legat auctores: indignationis loci ſunt fere iſti.

Auctoritas gentium populorum, ſapientumque

tumque virorum, qua demonſtratur, quantum maioribus, vel Deo etiam id de quo agitur curæ fuerit. Conſideratio eorum ad quos res pertineat. & quos attingat, an omnes ſuperiores, inferiores, & pares; demonſtrando rei dignitatem, & iniquitatem. Quid ſit euenturum, ſi res fiat, concedatur, aut permittatur. Expectatio eorum, qui erunt ad maleficia promptiores, quos hactenus iudicij timor continuit. Si demonſtretur, quod ſi ſemel male iudicatum, aut indultum fuerit, nullum ſupereſſe remedium: ſi rem conſulto factam fuiſſe dicatur, ac proinde nullum eſſe excuſationi, & deprecationi locum. Si oſtendatur factum eſſe nefarium, crudele, tyrannicum & atrox: Si non vulgare, ſed inuſitatum, & a feris etiam remotiſſimum, ac mature puniendum. Si vtemur comparatione criminum: Si ita exponãtur, quæ acta ſunt, omnes attingendo circunſtantias, ita ut res ob oculos poni videatur. Si dicemus factum fuiſſe ab eo, a quo minime oportuit, & ab eo, qui facientem prohibere debuiſſet: ſi id nobis ſolis accidiſſe, nec alijs vnquam vſu veniſſe: ſi cum iniuria, etiam contumeliam, & deſpicationem fuiſſe indicabimus. Si ab auditoribus petemus, vt ad ſe, ſuasque res, noſtras iniurias transferant. Denique ſi quæ perpeſſi ſumus etiam ho

ſtibus,

ſtibus, & inimicis indigna videri dixerimus.

Conqueſtionis autem hi fere numerantur loci. Si demonſtremus, quibus in bonis fuerit, & quibus in malis ſit, is quem defendimus: Si quibus in malis ſit futurus: Si ſingula incommoda, deploremus: Si malorum, & perſonæ conditionem aperiemus: ſi incommoda ita ob oculos ponantur, vt is qui audit ea videre videatur: Si præter ſpem in miſerias incidiſſe demonſtretur, & cum meliora expectabat: ſi ab auditoribus petatur, vt ſimilem caſum de ſe, ſuiſque cogitent: ſi factum, quod non oportuit, & non factum, quod oportuit dicet: Vt non adfui, non vidi, non extremum eius ſpiritum excepi, iacuit inſepultus, & cætera: ſi mutis rebus eius de quo dicimus ſermo, vel ſenſus accommodetur; vt veſtibus, domui, equo, &c. Si inopia, miſeria, imbecillitaſque demonſtretur: Si officia parentum liberorum, vel alterius erga corpus defuncti commendentur: ſi diſiunctio ab aliquo, quo cum libentiſſime vixeris deploretur: ſi cum indignatione conqueramur ab ijs fuiſſe male tractatos, a quibus minime oportuit: Si humili, & ſupplici voce auditores oremus, vt veſtri miſereantur: ſi non noſtras, ſed eorum, qui nobis cari ſunt, fortunas conqueri nos demonſtrabimus. Denique hunc pertinet alius

locus per quem animum noſtrum in alios miſericordem fuiſſe oſtendimus; & tamen amplum & excelſum & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſi quid acciderit demonſtramus. Nam ſępe virtus, & magnificentia, in qua grauitas & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quã humilitas, & obſecratio.

Libro 2 Orat. *Ad hunc locum pertinent, quæ his verbis apud Ciceronem diſputat Antonius; Non n. ſemper fortis oratio quæritur, ſed ſępe placida, ſummiſſa, Lenis, quæ magis commendat reos.*

Horum igitur exprimere mores oratione iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum mirum quiddam valet, & hoc, vel in principijs, vel in re narranda, vel in peroranda tantam habet vim, ſi eſt ſuauiter, et cum ſenſu tactum, vt ſępe plus, quam cauſſa valeat Verum hoc orationis genus in ijs cauſſis excellet, in quibus minus poteſt inflammari animus iudicis, acri & vehementi quadam incitatione. Huic enim diſpar eſt illa ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes iudicum permouet, & impellit.

Conducit etiam mirum in modum ad mentes commouendas, ethopœia, ſeu ethologia, hoc eſt, morum & perſonarum deſcriptio. Inueſtigandi itaque ſunt mores, & ſtudia eorum,

rum, qui cauſſis & iudicijs interſunt, vt ſunt, Reus, Aduerſarius, Iudex, Patronus, & qui adſtant: vt affines, neceſſarij, & alij, qui fauent: quas omnes fere perſonas in Quintiana peroratione attingit Orator.

Fauentium, cum ait, omnes ſcitote, iudices, Larinates veniſſe, vt hunc ſtudio, frequentiaque ſua, &c. Iudicis, eadem ſpe, ſed maiore verecundia, de te P. Volummi. Patroni, Meumque vna laborem. Aduerſarij, Atque mater? quam cæca crudelitate, &cæt. Rei, Leuate hunc aliquando ſupplicem veſtrum, iudices, &cæt. Neceſſariorum, Orat vos Habitus, indices, & flens obſecrat.

Valet igitur, inquit Antonius, multum ad vincendum probari mores, inſtituta, & facta, & vitam eorum, qui agent cauſſas, & eorum pro quibus: & item improbari aduerſariorum.

Hi communes indignationis & conqueſtionis loci, breuiter ex Tullio collecti, quos paulo fuſius apud Trapezuntium explicatos inuenies, non eo ordine, quo recenſiti fuere, nec ſemper omnes, ſed hi, vel illi, plures & pauciores, vt cauſſa, locuſque poſtulant, adhibendi ſunt. Et vt illud cum proxime citato auctore dixerim, affectuum humanorum naturam, vimque ad eos tractandos plane cognoſcere, non omnino referre; ita contra

eundem affirmauerim, non parum vtilitatis afferre. Cęterum, eorum permotionem a genere orationis potiſſimum pendere fatendum eſt.

Nona poſitio, non ſolum indignatio, & miſericordia in peroratione moueri debent, ſed etiam alij omnes affectus interdum permouendi ſunt: plures tamen in iudicijs, quam in alijs cauſſis.

Libro 2. Orat. *Nam quoniam, inquit Antonius, hæc fere ſunt in iudicum animis, aut quicunque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, inuidia, miſericordia, ſpes, lętitia, timor, moleſtia, &c. vbi quo pacto moueri poſſint pluribus verbis diſertiſſime docet. Vt ira, lęſione & contemptu: odium, improbitate, ſęuitia, & impudentia propoſita: inuidiam, gratia, potentia, & rerum copia: miſericordia, vitæ probitate, morum innocentia; & grauibus caſibus, alijſque modis ſupra numeratis.*

Decima poſitio, quamuis in conſilijs, cum apud ſapientes habeatur oratio, non ſit ita opus amplificatione, qua permoueantur affectus; tamen, ſi cauſſa id poſtulet, id fiet ſpei, aut explendæ cupiditatis, aut iniuriæ vlciſcendæ propoſitione. Si vero ſedandi fuerint, periculi propoſitione, inijciendus eſt timor, exitu fortunæ incerto, dubijſque caſibus. In conſultatio-

ſultationibus ergo hi ſpeciatim affectus mouendi, aut ſedandi ſunt, ſpes, deſperatio, timor, & audacia.

Vndecima poſitio, in encomijs cum gratulatione, admiratione, atque æmulatione eſt perorandum, ſi lęta dixeris: ſin triſtitia, ita afficiendi ſunt auditores, vt triſtentur, vt inuideant, vt contemnant, reijciantque.

Duodecima poſitio, diligenter Oratori inſpiciendum eſt, quod genus dicendi cauſſa in peroratione poſtulet: neque enim ſemper excitandæ ſunt faces, aut leniter ſummiſſeque dicendum.

Equidem primum conſiderare ſoleo, inquit Antonius, poſtulet ne cauſſa: nam, neque paruis in rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, vt nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus; ne aut irriſione, aut odio digni putemur; ſi aut tragedias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quæ non poſſunt commoueri.

Et alio loco, de duplici commouendorum affectuum ratione loquens, ſed eſt quædam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens eſſe volumus, difficilis ad diſtinguendum ſimilitudo. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur ijs, qui au-

diunt, ad hanc vim acerrimam, qua eoſdem excitamus, influat oportet aliquid; & ex hac vi nonnunquam animi aliquid influendum eſt illi lenitati: neque eſt vlla temperatior oratio, quam illa, in qua aſperitas contentionis Oratoris ipſius humanitate conditur; remiſſio autem lenitatis, quadam grauitate & contentione firmatur.

Decimatertia poſitio, genus dicendi in perorationis amplificatione, præſertim in iudicijs, vbi opus eſt indignatione, debet eſſe pene poeticum & tragicum, lacertoſum nimirum, & varium, non tamen fuſum: vbi membra breuiora, & ab omni circuitu aliena eſſe debent.

Quamuis ergo, tam in confirmatione, quam in peroratione amplificemus: tamen, nonnihil eſt inter has amplificationes diſcriminis: vbi etiam leuiora amplificamus, hic quæ maiora & robuſtiora ſunt exageramus: ibi etiam per circuitum multa dicimus, hic potius cęſim & membratim: ibi non ita varia, & mobilis eſt oratio, hic in varias ſeſe formas mutat: ibi adiuncta dilatantur, hic potius conglobantur: ibi denique figura leuiores & quæ aures permulceant, hic vero aſperiores & vehementiones, quæ etiam animos commoueant.

Decimaquarta poſitio, ſi vniuerſe loquamur, in perorando, potius breuitas, quam longitudo eſt retinenda. Cæterum, pro ratione cauſſæ, peroratio poterit eſſe breuior, & longior: qua in re Oratoris deſideratur iudicium, qui perſonarum, locorum, & temporum adiuncta perpedet. In iudicis & cauſſis grauioribus epilogi poterunt eſſe longiores, vt in oratione pro Cor. Balbo, pro Sextio, & pro Milone: in laudationibus mediocres: in conſilijs vero breuiores, vt in Quincta, vndecima, duodecima, & decimaquarta Antoniana.

Decimaquincta poſitio, in poſtrema orationis parte, ſiue in fine periodi, genus dicendi debet eſſe remiſſum, & diſſolutum, ita vt auditor, nos ad extremum perueniſſe intelligat: niſi fortaſſe aliqua de cauſſa obrumpenda ſit oratio.

Præceptum eſt Ariſtotelæum, quod bonorum Oratorum vſus confirmat. Ita obſeruares in Archiano epilogo, cum dicitur, Quæ cum ita ſint: petimus a vobis, iudices, ſi qua non modo humana, verum etiam diuina in tantis negotijs commendatio debet eſſe: vt eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi R. res geſtas ſemper ornauit, &c. Et pro A. Cluentio, Conſeruate A. Cluentium,

tium, reſtituite incolumen, municipio, amicis, vicinis, hoſpitibus, quorum ſtudia videtis, reddite: vobis in perpetuum liberiſque veſtris obſtringite. Veſtrum eſt hoc, iudices, veſtræ dignitatis, veſtræ clementiæ, &cæt. Hac itaque in re imitandi ſunt nautæ, qui cum prius plenis velis in portum tendant, paulatim vela contrahunt, & remiſſo curſu portu ingrediuntur.

Commẽdatur etiam ille orationis terminus, qui aliquam acutam ſententiam, quaſi ſtimulum, in auditorum animis defixam relinquit: cuiuſmodi eſſe videtur finis orationis pro Deiotaro, qui ita habet, Quocirca C. Cęſar, velim exiſtimes, hodierno die ſententiam tuam, aut cum ſummo dedecore miſerrimam peſtem importaturam eſſe regibus, aut incolumem famam cum ſalute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis eſt; alterum conſeruare, clementiæ tuæ. Et in fine epilogi Ligariani cum eodem Cęſare loquens, quare, cum vtilius eſſe arbitrer, te ipſum, quam aut me, aut quenquam loqui tecum, finem iam faciam: tantum te ipſum mouebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, præſentibus his omnibus te daturum & pro Cornelio Balbo, Accedat etiam illud vt ſtatuatis hoc iudicio, vtrum poſt hac amicitias clariorum virorum calamitati, hominibus

bus an ornamenti eſſe malitis. Poſtremo illuc, iudices, fixum in animis veſtris tenetote, vos in hac cauſſa non de maleficio L. Cornelij, ſed de beneficio Cn. Pompei iudicaturos.

Vltima poſitio, oratio Claudi ſolet verbo, Dixi audiſtis, rem tenetis, iudicate, vel alio ſimili, ſed non ſemper. Ariſt. 1 r.

Quo etiam loco nos huic operi finem faciemus, cum de omnibus diſpoſitionis Oratoriæ partibus, quæ nobis explicanda propoſuimus, explicuerimus. Qua de re fortaſſe multi nimis multa nos ſcripſiſſe exiſtimabunt ſed ſapientiores, qui ſunt pauci, rei magnitudine, & neceſſitate perſpecta, rem breuius quam tractari debuiſſet, nos tractaſſe forte affirmabunt.

Sed cum Antonio, ſic ſtatuo, vt in cæteris artibus, cum tradita ſunt cuiuſque rei difficillima; reliqua, quia aut faciliora, aut ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſſe. Neque eſt omnino ars vlla, in qua omnia, quæ illa arte effici poſſunt, a doctore tradãtur: ſed qui primarum, & ceterarum rerum genera ipſa didicerũt, reliqua per ſe non incommode ſequuntur. Libro 2. orat.

Vt hic omittam, quod maiora ſtudia, & multo maioris momenti intermiſſa opera, vos ad ſe, iure ſuo, dum hæc ſcribebamus, reuocarunt: quo factum eſt, vt quæ nunc in lucem damus, non ſint ita abſoluta, vt fuiſ-

ſet,

ſet, ſi in his plus temporis conſumere voluiſſem, & multi, qui quotidie hoc opus a me requirebant, permiſiſſent.

Quod autem ad res ipſas, de quibus nos, priuata quadam ratione iudicium tulimus, attinet liberam cuique facultatem damus, vt quod magis libuerit, id ſequatur. Eo enim ſumus animo, vt ab alio edocti, facile & libenter Cic.li.2. de Iuu. *ſententiam, commutare non pudeat. Non enim, vt eleganter ſapienterque ſcripſit Tullius, parum conoſſē, ſed in parū cognito ſtulte, & diu perſeueraſſe turpe eſt; propterea quod alterum communi hominū infirmitati, alterum ſingulari vniuſcuiuſq; vitio eſt attributum.*

Quamobrem, Chriſtiane Lector, ſi quid ab eo qui prodeſſe voluit, peccatum fuiſſe inuenies, ei veniam dato: ſi vero ex eius laboribus aliquid vtilitatis capies, Deo opt. max. omnium bonorum largitori acceptum referto. Ipſe interim, non ceſſabit, ſed Deo fauente, ad eius gloriam, communemque vtilitatem, de elocutione Oratoria quattuor iam inchoatos libros perficere curabit.

FINIS.

Laus Deo Opt. Max. & Beatæ Virgini Annuntiatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
Apud Damianum Zenarum.
M. D. XC.